

V. kal. Ianuar. Hermannus Abbas in Flechthorff.

IV. kal. Ianuar. Dominus Conradus Abbas in Flechthorff. Adilhelmus Abbas in Tuitio.

III. kal. Ianuar. Iohannes Abbas in Traiecto.


II. kal. Ianuar. Dominus Melchior Abbas in Schonavia.

XV.

CHRONICON

ECCLESIAE HALBERSTADENSIS,

Ex MSto.

 Vi res gestas in scriptum redigere moliuntur, arbitror utique cum eisdem, utile ac honestum fore, ut, ne actus veterum favillis oblivionis sepeliantur, vivacis literæ certa quadam notitia ad posteros deriventur: Ut & boni ex bene gestis virtutis sumant exemplum, & à male gestis discant salubriter abstinendum. Hac igitur consideratione non incongrue circumspecta, ad honorem DEI & laudem S. Halberstadensis Ecclesiæ gesta Pontificum, qui eidem Ecclesiæ præfuerunt, prout in diversis schedulis & in libris chronicorum scripta reperi, & ab antiquis usque nos fama decurrente investigare potui: numerum quoque & ordinem Præfulum, gesta etiam singulorum, & sub quibus Apostolicis & Imperatoribus seu Regibus præfuerint, & in quibus, Principum liberalitate, Ecclesia profecerit per eosdem, succincta brevitate percurrere destinavi. Verum, quia Christianissimus Romanus Imperator *Carolus* huius Halberstadensis Ecclesiæ primum fundator extitit in Saxonia, postquam ipse gentem Saxonum per 30. annos continue debellando ad fidem nominis Christiani vix compulit, de Origine Saxonum, cuius varia est opinio, quædam liber breviter & veraciter relibare.

[sequitur in Manuscripto digressio de Origine Saxonum, quæ omiſſa est, quia ad verbum habetur in Urspergenſi à pag. 201. ad pag. 208.]

CAROLUS igitur, qui cognominatus est Magnus Romanorum Patricius, Francorum Rex, Saxonum Apostolus, nec non totius Ecclesiæ institutor & Rector, cum à proavis esset Regibus oriundus, morum gravitate non solum ingenuitatem sui generis honestavit, sed & omnem terram Francorum legibus & catholicæ fidei institutis adauxit in Domino & feliciter stabilivit. Unde non solum suis extitit honore debito reverendus, sed etiam exteris nationibus bellorum frequentia & felici semper victoria metuendus. Postquam igitur immensis laboribus & diversis præliis variisque victoriis triumphando, Saxones tandem vicit, sicque illos, primo Christi, subegit imperio, inter *Oræ* & *Albiæ* confluentia, ubi Christi nomen nondum auditum erat, semen divini verbi diffundens non cessavit, & catechizatos tandem sacro baptisinate regenerari fecit. Sed populus acquisitionis, quorum postes sanguine agni sunt illiti, [ne] tam recenter, quam clade Ægyptiaca, læderentur, nec oves sine pastore deviantes iterum ab antiquo humani generis inimico seducti ad vomitum pristinae perditionis rediret; in terra eorum Ecclesias instituit, & qui ipsis præessent, Episcopos fideliter procuravit, inter quos terram sagaciter distribuit ac divisit. &c.

Anno igitur Dominicæ incarnationis 781. indictione 4, Anno vero regni ipsius (postquam fratre suo Carolomanno defuncto solus regnavit) 10 [leg. 8] primum in loco, *Selengenſtadt* nuncupato, nunc autem vulgo *Oſterwick* dicto, Monasterium construxit, atque in honorem Dei omnipotentis & S. protomartyris Stephani, qui est bonus signifer Regis, omniumque martyrum norma, primo Martii dedicavit. Qui cum aliquandiu longè lateque fidelem ac providentem dispensatorem quæreret, quem constitueret super familiam Dei, ut illi in tempore cibum daret: S. *Hildegrium Catelaunensem* à SS. Parentibus, patre scilicet *Thiatgrino*, matre vero *Liasburga* editum; fratrem quoque S. *Ludegeri* primi Mimmigardevordensis Episcopi, Adriano S. Romano iubente, in hoc opus Episcopum destinavit. S. vero *Hildegrium* statim eodem anno, divina gratia disponente, sedem Episcopalem de *Selengſtedt* in oppidum quod *Halberſtadt* dicitur, transmavit. Cum enim Rex & Pontifex confederissent in eo loco, ubi *Oræ fluvius Albiæ* influit, de translatione civitatis tractatum habentes, à duobus his fluminibus civitatis novum nomen aptantes *Halberſtadt*, q. d. *Albæ Oræ*. stat civitati vocabulum invenerunt. Anno vero incarnationis Dominicæ 799. *Leo* Papa à Romanis lingua truncatus, cæcatus & à pontificatu eiectus, gratiâ Dei luminis & lingvæ usui restitutus, accessit ad *CAROLUM* in Saxoniam in loco, qui *Padelborn* vocatur. Quem Rex susceptum eâ, qua decuit honorificentia, Romam reduci, & omnia sua sibi restitui fecit. Quem & vindicandum Romam profecutus, in die natalis Domini ab eodem Papa, imposita sibi corona, Imperator & Augustus à Romanis, demto nomine Patritii, est vocatus.

Anno

Anno vero Dominicæ incarnationis 804. Idibus Maji, indictione 10, sui autem regni 34, (*) Imperatorii vero 3, ordinationis Hildegrini Episcopi 23, Anno 6, postquam, ut dictum fuit, Leo Papa fuerat mutilatus, Carolus imperator in palatio *Saltz* nominato, parochiam hanc certis undiqve terminis circumscripsit, suoqve imperio Augustali & imprævariabili privilegio confirmavit. Hi autem sunt termini Halberstadenſis diœceſis: fluvius *Albia*, *Sala*, *Unſtruda*, foſſa juxta *Gröne*, altitudo ſylvæ, quæ vocatur *Hert*, *Ovatra* Scuntra, *Tafaneck*, *Drüt-becke*, *Alera* *Iſanna*, palus, qui dividit *Hardungaos* [leg. *Bardungaos*] & *Wittingaos*, *Ora*, *Milla*, *Predekina* [hic locus aliis omiſſus] & iterum *Albia*. Circumſcriptis igitur terminis Halberſtadenſis diœceſis *Carolus* Imperator habitò conventu in palatio ſupra dicto, omnes Saxones libertate antiqua donavit, eosque pro fide Catholica conſervanda ab omni ſolvit tributo, excepto quod omnes eos, divites ſcilicet & pauperes totius ſuæ agriculturæ & nutrituræ decimas Chriſto ac ſacerdotibus ejus fideliter dare juſſit. *Carolus* igitur Imperator M. Saxonum Apoſtolus, Chriſti & eccleſiæ vernaculus utilis, rationabili ordine rebus eccleſiaſticis prudenter diſpoſitis, per totum mundum laudendus, carne ſolutus, exultantibus angelis cœlo reddidit animam, ætatis ſuæ 71, regni autem 47, imperii vero 14, ordinationis Hildegrini Episcopi 24: cui filius ſuus *Ludovicus* cognomine *Pius* ſucceſſit in regnum.

Anno igitur Dominicæ incarn. 815. *Ludovicus* Imperator de conſilio Episcoporum præcepit, ut omnes Monachi curſum *S. Benedicte* cantarent. Anno vero 816. *Leo* Papa migravit à corpore, qui ſedit annos 21, cui ſucceſſit *Stephanus* Diaconus, qui & *Ludovico* regi occurrit *Remis* poſt conſecrationem ſuam menſe ſecundo, & ibidem regem *Ludovicum* in Romano- rum Imperatorem coronavit.

Eodem anno idem Imperator de conſilio & conſenſu *Stephani* Papæ in palatio *Aquisgranenſi* ſolemneſſimam Synodum congregavit, *Bonifacio* Moguntinæ ſedis Archiepiscopo præſidente, qui & poſtea glorioſo eſt pro Chriſto martyrio coronatus. Aderant quoque multi & magnæ autoritatis viri. B. vero *Hildegrinus* primus Halberſtadenſis ſanctusque ejus *Germanus* *Ludovicus* *Monasteſienſis*, *Willebrordus*, *Wipertus*, *Columbanus*, *Albinus*, venerabiles episcopi & confeſſores, aliorum quoque episcoporum & Abbatum maxima multitudo. In qua Synodo Sancti Patres, annuente Spiritu Sancto adunati, Piſſimo *Ludovico* Augusto admonente, Regulam Canonicorum ex dictis *Gregorii* Papæ *Augustini*, *Jeronymi* *Preſbyteri*, *Iſidori*, *Proſperi* quoque & aliorum Sanctorum Patrum excerptam traditionibus obſervari unanimiter cenſuerunt, in qua ſtudioſo Lectori & humili obſervatori, quid clericis faciendum ſit quidve vitandum, deſcriptione compendioſa & utili declaratur. Idem quoque Imperator, petente *S. Hildegrino* Episcopo, quælibet ſtatuta patris ſui in Halberſtadenſi Eccleſia ſua autoritate & robore communivit. Super quibus & eidem Eccleſiæ tale privilegium erogavit.

In honore Domini DEI & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti *Ludovicus* divina ordinante providentia Romanorum Augustus. Si ſacerdotum ac ſervorum DEI petitiones, quæ nobis de neceſſitatibus innotuerint, ad effectum perducimus, non ſolum imperialem exercemus conſuetudinem, verum & ad beatæ retributionis mercedem talia à nobis facta credimus profutura. Quapropter notum ſit omnium fidelium noſtrorum induſtriæ, præſentium ſcilicet & futurorum, quia *Hildegrinus* Catholanenſis, Eccleſiæ Halberſtadenſis Episcopus Venerabilis, quæ eſt conſtructa in honorem Chriſti ſuique Protomartyris *Stephani*, ſuper fluvium *Haliemma* in pago *Haringowe*, cujus Parochia piſſimi patris noſtri *Caroli* Imperatoris *Augusti* ſtatuta & determinata eſt his pagis; *Darlingowe* & *Northüringowe* & *Belinesheim*, *Haringowe*, *Svavia* & *Hafſingowe*, veniens ad nos, detulit nobis immunitates ſancti Genitoris noſtri piè ſemper memorandi, in quibus continebatur, quomodo ipſam ſedem ſub pleniffima deſenſione & immunitatis tuitione habuiſſet. Pro firmitatis namque ſtudio petivit nos idem præſatus Episcopus, ut ei denuo ſimilia pro mercedis noſtræ augmento concedere & confirmare debeamus. Cujus petitioni pro divino amore aſſenſimus, & ita in omnibus quæ juſtè & rationabiliter petiit, per hanc noſtram auctoritatem ſtuduimus confirmare. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus judex publicus, neque quilibet ex judiciaria poteſtate, ſeu aliquis ex fidelibus *S. DEI* Eccleſiæ ac noſtris, in Eccleſiam aut loca, vel agros, ſeu reliquas poſſeſſiones, quas moderno tempore juſtè & rationabiliter poſſidere videntur, in quibuslibet pagis & territoriis ſitas, vel quicquid deinceps etiam propter amorem divinum collatum eſt, & ad cauſas audiendas vel feuda [freda] exigenda, aut manſiones vel paratas faciendas, aut homines ipſius Eccleſiæ tam ingenuos quam ſervos injuſte diſtringendos, aut ullas redibitiones vel villicatus occaſiones requirendas, ullo unquam tempore ingredi vel exactare præſumat. Inſuper etiam præſcriptorum incolas omnes Pagorum præſatæ eccleſiæ ſuas decimas fideliter perſolvere pro divino amore jubemus; & donamus, ut omnibus temporibus in alimoniam pauperum & ſtipendia ſervorum DEI, ibidem DEO famulantium, proficiant in augmentum; quatenus ipſis ſervis DEI, qui ibidem DEO famulari videntur, pro Nobis, & conjuge proleque noſtra, & pro ſtabilitate totius imperii noſtri, à DEO nobis conceſſi atque con-

fer-

(*) [Pro anno regni 34. ponendus 35. & pro anno Dom. 804. annus 803.]

fervandi, jugiter Domini misericordiam exorare delectet, Prædictam vero Parochiam illius circumquaque per diversos pagos sitam, nemo fidelium nostrorum ei exinde aliquid abstrahere aut prohibere præsumat; quin ei liceat per hanc nostram auctoritatem verbum prædicationis Domino auxiliante exercere, & ministerium suum plenè peragere. Et ut auctoritas hæc, nostris futurisque temporibus Domino protegente, valeat inconvulsa manere, manu propria subscripsimus & annuli nostri impressione signari jussimus. Dat. 4. Non. Sept. Anno incarna. Dominicæ 814. Indiçt. 8. Anno I. imperii nostri. Act. in Aquisgrani palatio, in Dei nomine feliciter. Amen.

Anno Domini 817. *Stephanus* Papa obiit, cui *Paschalis* successit. Et Anno 821. in regione Thuringorum cespes longitudine 50. pedum, latitudine 14, altitudine 6, de terra sine manibus præcisus & sublatus, a loco, in quo sumtus est, 15. pedum spatio distans inventus est. Etiam in parte orientalis Saxonie, quæ *Sorabis* contigua est, juxta locum, qui dicitur *Arnsee*, in modum aggeris terra intumuit, & limitem longitudine unius leucæ porroctum, sub unius noctis spatio, instar valli subvexit. Eodem anno puella quædam circiter annorum 12. post sacram communionem, quam in Pascha de manu Sacerdotis acceperat, sine omni victus desiderio plenum biennium usque in 3. annum dimidium complevit, nulla penitus alimenta corporis percipiens. Anno 824. *Paschalis* Papa obiit, cui successit *Eugenius*. S. igitur *Hildegrius* Episcopus, dignus operarius in vinea Domini pondus diei & ætus fideliter portans, Ecclesiasticas ordinationes rite in commissa sibi Parochia ordinavit, 35. Ecclesias plebejas in Episcopatu suo constituit, Ecclesiam præterea à fratre suo *S. Ludero* Episcopo inchoatam perfecit, annexam majori Ecclesie in civitate, & in honorem *B. Martyrum Johannis & Pauli* solenniter consecravit. Injunctum denique sibi officium congruenter administrans, castitate, & dilectione Dei & proximi, largitate supra vires, imo omnium virtutum armis munitus, Christi fortis miles de hoste maligno semper triumphans, Ordinationis suæ anno 47. (*) 13. Cal. Jul. hominem exutus, in Paradisum ducentibus Angelis victoriosus pervenit. Corpus vero illius in monasterio Werdenfi, quod *S. Luderus* frater ejus juxta fluvium, qui *Rura* dicitur, fundaverat, requiescit sepultum.

Anno 827. Indiçt. 4. Imperii autem *Ludovici pii* 13. *Tibatrinus*, SS. fratrum Episcoporum *Hildegri* & *Luderi* nepos, gregi Halberstadiensi adhuc novello à jam dicto Imperatore *Ludovico* secundus est Pastor idoneus constitutus. Hic ergo postquam in multis virtutibus SS. Patrum exemplo claruit, eorundem vestigia fideliter imitatus, 14. suæ ordinationis anno corpore dissolutus est, 6. Idus Febr. & est cum Christo, & ad prædecessorem suum *Hildegrium* & consanguineum in *Werdinensi* monasterio corpus ejus appositum requiescit.

Anno 817. *Eugenius* Papa discessit, cui *Valentinus* successit, qui sedet 1. mense, cui successit *Gregorius*, quo discedente *Sergius* Papa successit, post quem *Leo*. Anno 840. *Pius Ludovicus* Augustus, S. Dei Ecclesie merito deplorandus, 12. Calend. Martii naturæ concessit, anno imperii sui 26. & in *Metensi* Ecclesia est sepultus: post quem in regem *Ludovicus* ejus filius est electus.

ANNO igitur incarn. Dominicæ 840. Indiçt. 3. anno 1. regni *Ludovici* secundi, *Hemmo* *Herolvesfeldensis* Monasterii Monachus Halberstadiensi Ecclesie ab eodem *Ludovico* 2do 3tius Episcopus est transmissus: sed magis detrimento quam lucro. Nam omnes decimationes super totum *Freifonsveld*, quæ de jure essent Halberstadiensi Ecclesie offerendæ, non est veritus transferre in Ecclesiam *Herolvesfeldensem*. Dicunt tamen ejusdem Ecclesie Monachi, easdem decimationes se cum aliis bonis commutasse, & super hac commutatione privilegio dicunt se esse munitos.

ANNO igitur Ordinat. suæ 13. idem Episcopus, 6. Cal. April. diem clausit extremum, & in Halberstadiensi Ecclesia est sepultus.

ANNO 853. Indiçt. 1. *Ludovici* 2di Regni 14. *Hildegrius junior*, SS. Episcoporum *Hildegri* & *Luderi* fororis filius, vir utiqvæ multæ prudentiæ & pietatis eximie, 4tus Episcopus Halberstadiensi Ecclesie est constitutus. Qui inter multifaria suæ Ecclesie utilitatis gesta, monasterium, quod ab antecessoribus suis invenit inceptum, consummavit, & concione multorum Episcoporum & benedictium comitante, in honorem omnipotentis Dei & *S. Protomartyris Stephani* laudabiliter dedicavit anno Domini 859. Ind. 6. 9. Nov. anno Ordinat. suæ 7. Anno autem ejusdem Episcopi 23. *Ludovicus Secundus*, anno sui regni 36. viam universæ carnis est ingressus, pro quo filius suus *Ludovicus tertius* ad regni ejus fastigia sublimatur. Anno vero *Hildegri* junioris 29. idem *tertius Ludovicus* regni sui anno 7. in fata concessit, cui filius suus *Carolus* in regno successit. Dicitur quoque Episcopus *Junior Hildegri* Ordinacionis suæ 40. 34, 12. Cal. Junii debitum carnis persolvit: cujus corpus in *Werdinensi* Ecclesia cum suis prædecessoribus collocatum in Domino requiescit.

Tempore vero *Ludovici* Imperatoris 2. anno videlicet Domini 854. Corpus *S. Martini* levatur de tumulo. Seqvienti anno *Leo* Papa obiit, cui *Benedictus* succedens eodem anno moritur:

(*) Lego: 17. nam si ab 824. subtrahas 17. restat 807. ita prope accedet veritati: nam paulo post annum 809. *Hildegrius* videtur factus Halberstadiensi Episcopus.

tur: cui *Nicolaus* Papa successit, qui sedit annis 11, post quem *Hadrianus*, post quem *Agapitus*, post quem *Basilius*, post quem *Stephanus*. Anno vero Domini 877. *Carolus* filius Ludovici 3^{ti} Romam tendens, a *Johanne* Papa in Imperatorem est coronatus.

Orbata igitur pastore suo, ut prædictum est, Halberstadiensi Ecclesia anno Domini 888. Indictione 4, regni vero *Caroli* Regis *Guilfus* (*) vir simplex & innocens quintus Halberstadenfis Ecclesie Ordinatus Episcopus fuit. Sed idem *Carolus* sequenti anno depositus est a regno, & *Arnolphus* frater ejus in Regem est coronatus. *Guilfus* vero Episcopus ordinationis suæ anno 9, 6. Cal. Febr. mortuus est mundo, ut vivat Deo, corpusque suum in Halberstadenfi Ecclesia est tumulatum.

Anno igitur Domini 894. Indict. 12, regni vero *Arnolphi* Regis 7. Dominus *Sigismundus* Vir pius & largus, variis artibus sapienter imbutus Halberstadenfis Ecclesie Episcopus 6tus, nutu divino Pontificali est infula decoratus.

Hujus Temporibus anno 2, defuncto Papa *Stephano*, Romani quidam *Sergium* quendam elegerunt in Papam, sed potior pars *Formosum* Portuensem Episcopum. Cum ergo fautores *Sergii* ipsum in Papam perducerent ordinandum, Electores *Formosi* eum ab altari & ab urbe pellentes, *Formosum* Papam instituerunt. Unde cum ipse ab æmulis suis persecutiones pateretur, *Arnolphum* Regem Romam sibi in auxilium evocavit, qui ingressus urbem, multos Romanos Principes, ulciscendo Papæ injuriam, decollari præcepit. *Formosus* autem ipsum Regem in Imperatorem coronavit. Anno vero Domini 900, Ordinationis *Sigismundi* Episcopi anno 6. *Arnolphus* Imperator morte miserabili, scaturitione scilicet vermium, quos pediculos vocant, tam enormi, ut nullis medicorum curis posset imminui, est extinctus. Defunctus est & *Formosus* Papa. Fautores itaque *Sergii* nacta occasione ipsum Romam reducant, ejecto eo, qui *Formoso* successerat. Qui constitutus *Formosum* de sepulchro trahi, & in Sede Pontificali indutum vestibus locari, sicque decollari præcepit. Deinde sacris exutum vestibus, abscisisque tribus digitis, in Tyberim jactari iussit. Post *Formosum* *Johannes* Papa sedit, cui item *Stephanus* successit. Defuncto autem *Arnolpho* regni sui 14. anno Imperii vero 4. *Ludovicus* filius ejus, qui cognominatus est infans, post ipsum regnavit. Hic itaque postulante *Sigismundo* Episcopo omnia statuta antecessorum suorum Dominorum Imperatorum in Ecclesia Halberstadenfi renovavit, & regie autoritatis privilegio confirmavit, hoc etiam supererogando, ut Halberstadenfis Ecclesie canonici, seu inter se seu aliunde, digne & Canonicè Episcopum eligendi liberam ac propriam habeant facultatem eamque concessionem suo iis privilegio stabilivit. Idem Rex *Ludovicus Adalbertum* Principem *Bavenbergensis* civitatis, perfidia *Hattonis* Moguntini Archiepiscopi decollari fecit. Hic etiam *Ludovicus* accepit uxorem nomine *Machtildam* sororem *Branonis* ac *Otonis*, qui descenderant à stirpe *Widekindi* ducis Saxonie. Hic *Bruno* fundator extitit civitatis, quæ *Branonis vicus* vocatur. Qui dum Ducatum totius Saxonie administrasset, duxit exercitum, contra Danos, & in undatione repentina circumfusus, periit cum omni exercitu, *Otoni* fratri suo Ducatum relinquens. Tunc *Conradus* quondam Dux Francorum (filius *Conradi* Principis, quem *Adalbertus* occidit *Pavenbergensis*) & Principes regni *Otonem* Ducem Saxonie querebant ad regni apicem sublevare; ipse vero quod jam [ætate] gravior, & tanti honoris excellentia judicans se indignum, onus imperii recusavit; ejus tamen consilio *Conradus* supra dictus, qui 4^{to} *Ludovico* in cognatione proximus erat, utpote filius sui fratris, in Regem est electus. Huc usque *Caroli* M. progenies Imperium tenuerunt. Abhinc Imperatores Saxonici surrexerunt. Hoc tempore Romanæ Ecclesie præfedit *Martinus* Papa. *Conradus* autem Rex Regni sui anno 9, *Sigismundi* Episcopi anno 26, ab hoc seculo est ereptus. Cui cum non esset proles regia, de consilio ejusdem regis adhuc viventis, universi Principes regni *Henricum* Ducem Saxonie, filium supra dicti *Otonis* Ducis elegerunt in Regem, qui 17. annis regnavit. *Sigismundus* autem Halberstadenfis Episcopus, ut fidelis servus & prudens, super familiam Domini constitutus, semper præesse studuit in bono & prodesse. Nec inter opera sanctitatis suæ hoc est reticendum, quod cum ipse omnibus bonis abundaverit, nihil tamen ad sui corporis percipere voluit alimenta, nisi quod ipse scribendo, pingendo, ac propriis operando [manibus] sibi de suis laboribus comparaverat. Per divinam quoque revelationem Domino *Berthardo* prædixit, quod ipse futurus post se esset antistes. Ipse namque Episcopus in valetudine corporis fatigatus, vidit in somnis, quod baculum pastoralem, e manibus suis elapsum, *Berthardus* pone sequens levaret & manifestè portaret: & advocans eum dixit ei: vade ad curiam regiam, fili mi, & quæ tibi fuerint necessaria, de rebus meis fumes, ibique melius valentium tibi compara & gratiam & favorem. Prævidit enim Dominus, ut sine offensione omni mihi succedas in hujus ecclesie provisorem. Bonum igitur certamen certans, contra hostem malignum sic in studio vitæ præsentis cucurrit, quod jucunditatis æternæ bravium non amisit. 30. namque ordinationis suæ anno, 19. Cal. Febr. cælo reddidit animam: corpus vero ejus in Claustro positum, multo tempore post à Domino *Hildewardo* Episcopo translatum, in Ecclesiam juxta summum Altare S. Stephani ad meridianam plagam

(*) Alius *Evilpus*, *Egelulphus*, *Vinnigstadio* *Enolphus*, *Centur.* *Magdeb.* *Emundus*.

gam honorifice est locatum. Sic enim ipse, dum viveret, semper exoptarat se locandum, sperans, se patroni sui sancta intercessione & sacerdotali benedictione super se assidue facienda, jugiter muniendum.

Anno igitur Domini 924. Indiēt. II, Regni vero *Henrici I. Regis* 5. Dominus *Bernhardus*, sicuti dictum est, ad consilium senioris sui S. Episcopi familiaritatem Regis adeptus, inter Regni Principes primus effectus, dum a Rege revertitur, comperit Dominum suum ab hac luce migrasse. Et continuo reversus ad Regem suo consequitur munere, quod petivit, Halberstadenfis Ecclesie virgam suscipiens Pastoralem. Hic itaque inter innumera, probitatis sue facta brachium S. Sixti Papae cum parte capitis ejus, & plurimis Sanctorum reliquiis de Roma adduxit. De sanguine S. Pauli Apostoli, reliquias Sanctorum *Agapiti, Felicissimi, Stephani Papae & Martyris Fabiani & Sebastiani, Iohannis & Pauli, Viti, Dionysii, Nerei, Anthonii, Pancratii, Tiburtii & Valeriani, Prothi & Iacynthi, Cosma & Damiani, Georgii Romani militis, Anastasii Martyris, Valentini, Procelli, & Martiniani, Sergii & Bacchi, Primi & Feliciani, 4. Coronatorum, Costam S. Cyriaci, digitum S. Ceciliae, Agnetis, Prisca, Petronella, Aquila.*

Tempore *Henrici Regis Carolus Rex Francorum* captus & carceri mancipatus, *Manum S. Dionysii Martyris* auro gemmisque ornatam, eidem *Henrico Regi* transmisit in pignus perpetui foederis & amoris. *Rudolphus* quoque *Burgundionensis Rex*, qui in Italia annis aliquot, imperaverat, lanceam quandam ibi a *Samsone* quodam Comite acceperat, quam *Constantini M. seu Helenae filii* esse dicebant, quae, excepta ceterarum specie lancearum, novo quodammodo opere, novaque elaborata arte & figura, erat utrobique quasi fenestram habens: cui inclusa sunt de spina, de cruce, ex clavis manibus & pedibus Salvatoris nostri affixis. *Henricus* itaque *Rex* audiens, *Rudolphum* Regem tam coeleste donum habere, ut Domini erat timens totiusque Religionis amator legatis directis tentavit, tum praemiis tum terrore, illud obtinere. Sed quia munus, quod petebatur, illud erat, quod coelestibus terrenis commiscuerat, *Rudolphus Rex*, licet multum difficilem se reddiderit, emollito tandem ejus corde, justo Regi iusta iuste petenti protinus tradidit, quae petebat. Quanto autem amore *Rex Henricus* hoc coeleste munus dilexerit, in hoc praesertim claruit, quod datorem hujus non solum auro argentoque multo, verum etiam *Suevorum Provincia* non minima honoravit. DEI ergo voluntate *Rex Henricus* sanctam lanceam adeptus est, per quam ipse saepe de hostibus triumphavit, eamque esse credimus, quae ex tunc hodieque in Imperatorum tutela manere solet. Idem *Henricus Rex* castrum *Brandenburg* cepit, *Dalminiam* subjugavit, *Bobemiam* quoque tributariam fecit. Saxoniam etiam a tributo, quod *Hungaris* dare consueverat, liberavit. Ipse enim cum multo exercitu tam Saxonum quam *Thuringorum* per Saxoniam, congregato in castro *Merseburgo*, congressus est cum eis, eosque vicit penitusque fugavit. Hunc triumphum, tam laude quam memoria dignum, *Rex* apud *Merseburg* in superiori *Cannaculo* Domus regiae per Topographiam notari praecipit, adeo ut rem veram potius, quam verisimilem judicares.

Erat autem *Henrico Regi* uxor nobilissima, nomine *Mathildis*, filia *Theodorici* Principis ex eadem Saxonum gente, cujus fratres erant *Witkind* & *Reinbern*: & hi erant ex stirpe *Magni Ducis Saxoniae Witkindi*. *Reinbern* autem erat ille, qui pugnavit contra *Danos*, multo tempore Saxoniam vastantes, vicitque illos, liberans patriam ab eorum incurssionibus usque in hodiernum diem. Genuerat autem *Henrico Regi* *Mathilda* filium, qui cognominatus est *Otto Magnus*, qui & postmodum Patri successit in regnum. Genuit quoque & alium nomine *Henricum*, qui factus est dux *Bavariae*. Genuit quoque tertium *Brunonem* nomine, qui postea *Coloniensis Ecclesiae* Pontifex est effectus. *Henricus* igitur *Rex*, perdomitis quoque gentibus, tandem Romam studuit proficisci: sed infirmitate praeventus in castello, quod *Mimelevo* dicitur, decubuit. Testamento igitur legitime facto, & rebus omnibus rite compositis: designato quoque in Regem *Ortone* filio suo, defunctus est anno Regni sui 17, vitae autem 60, *Bernhardi* Episcopi anno 14, translatusque est corpus ejus in civitatem, quae dicitur *Quedlingebourg*, & in Basilica S. Petri ante Altare sepultum. Cujus obitus trigesimo die *Domina Mathildis* Regina, de morte sui conjugis diro vulnere sauciata, congregationem sacram Monialium in *Quedlingebourg* constituit, & huic, quantum necessaria suppetebant, ex sua proprietate concessit.

Defuncto igitur Rege *Henrico* Anno Domini 937, filius suus *Otto Magnus* & pacificus, ei succedit in Regnum. Hic autem ex Anglorum gente duxit uxorem, filiam fratris *Adelstani* Regis, quae vocata est *Ergis*, ab aliis vero *Edicta* appellata, quae & Regi peperit filium nomine *Ludolphum*.

Ejus & instinctu & precum constantia *Rex Otto* *Magdeburg* condidit civitatem, ad quam & reliquias S. Martyris *Innocentii* cum magno adduxit honore. Statuit quoque ibidem Abbatiam, incipiens Ecclesiam mirum in modum, in loco, ubi sancta *Edida*, postmodum est sepulta. Ibi etiam Episcopatum facere conabatur: sed apud *Bernhardum* Episcopum, in cujus Diocesi urbs praefata sita erat, id, quamdiu vixit, non potuit impetrare. Quicquid autem in praeliis aut quibuslibet rebus potuit congregare, totum Deo ejusque militi

Mauritio

Mauritio deputavit. In Augusta quoque civitate existens, in qua tunc temporis *B. Ulricus* Episcopus praesedit, in die *B. Laurentii* confictum cum *Hungaris* habiturus, tale fecit votum, ut si intercessione tanti Patroni Christus sibi victoriam dignaretur dare & vitam, in civitate Mersburg vellet Episcopatum construere in honorem Victoris ignium, domumque suam magnam noviter inchoatam sibi ad Ecclesiam consummare. Sed, quamvis divina favente clementia casis ea die hostibus & fugatis, victoria sibi magnifice cesserit & triumphus, omnesque regni principes pro signo tam evidenti ad perficienda vota unanimiter acclamarent, invictum tamen *Bernhardi* Antistitis animum ad consentiendum sibi in Ecclesiae suae terminis distrahendis nunquam potuit inclinare. Unde etiam Imperator ipsum non est veritus captivare, & in *Quedlinburg* carceris custodia mancipare. In quo, dum per dies aliquot fuisset afflictione satis indebita tribulatus, stolam & anulum suum cum virga pastorali per quendam capellanum suum nactus, in cena Domini Imperatorem cum Episcopis omnibus, qui secum ibi aderant, hora diei prima ad se postulat accerferi. Qui de terminis memoratis ipsum Imperatori velle satisfacere aestimantes, ad vocationem ipsius pariter convenerunt; quibus post aliqua exhortationis verba, sub interminatione excommunicationis, divinum officium [ex] ea die in sua parochia interdixit; ipsum Imperatorem pro tam injusta sua captivitate anathematis vinculo alligavit. Quem assistentes tanquam senem delirum, in ventum verba jactantem inania, deriserunt. Eductum tantum [tandem] de carcere pontificalibus & omnibus, quae necessaria fuerunt, armis spiritualibus insignitum conspiciunt & munitum. Tum vero jactantes capita sua, mente non modicum sunt confusi, & quia res in arcto posita erat, ad sanissimum tandem hoc consilium accedunt, ut ab omni captivitate liberatus ad sui Episcopatus sedem Praeful venerabilis reducatur. Imperator igitur & Episcopi omnes cum universo comitatu suo usque ad Ecclesiam *B. Stephani* ipsum magnifice prosequuntur. Verum in Pontifice tanta fuit divini amoris perseverantia & rigoris, ut Imperatori, cum omnibus suis advenienti, nec processione debita nec tintinnabulorum solennibus aliquem exhiberet honorem, ob sententiam, quam in eum iudicio Spiritus S. promulgavit. Imperator vero divina imperatione compunctus, a civitate aliquantulum retrogressus, poenitentium more nudis pedibus subito regrediens, coram praefato Episcopo humo tenus est prostratus, & absolutionis beneficium, quod ab ipso similiter petiit, impetravit. Ipso igitur Episcopo obsecrante Imperator, ab urbe longius denuo retrocedens, regalibus ornamentis indutus, vectus equo revertitur, & cum omni tripudio, cunctis exultantibus, solennitate congrua est receptus, & in ipsa civitate festum Paschale cum uberrima laetitia celebravit. Sic igitur inter Imperatorem & Episcopum omnis controversia est finita, ut eo vivente nunquam manus apponeret, sed nec etiam mentionem unquam faceret voti sui, quod in rebus anxii ipsum constitit sic vovisse. Imperator vero ex petitione *Bernhardi* Episcopi omnes successiones & statuta antecessorum suorum divorum Imperatorum Halberstadiensis Ecclesiae renovavit, & regio ea privilegio roboravit. His temporibus praesederunt Romanae Ecclesiae post *Martinum* Papam *Agapitus*, post quem *Octavianus*, post quem *Leo*, post quem *Benedictus*, post quem *Johannes*.

Anno Domini 947. defuncta est *Edidis* Regina, & sepulta est in civitate *Magdeburgensi*, quia non minus sancta religione quam regali potentia claruerat. Qua defuncta Rex *Otto* Italiam intravit, eamque subjugavit, & *Adelheidem* Reginam sibi matrimonialiter copulavit: ex qua genuit 3. filios, *Henricum*, *Brunonem* & *Ottonem Rufum*, qui & post ei successit in Regnum.

Anno Domini 951. *Otto* rogatu *Johannis* Papae & querimonia multorum Italiam petiit, & Romanam Ecclesiam ex faucibus *Berengarii* & filii sui liberavit: *Berengarium* autem cum uxore & filio suo *Pabenberg* captivos transmisit, ubi & *Berengarius* defunctus est. Ipse vero Rex Romam procedens, mirifico apparatu susceptus, ab eodem Papa *Johanne* in Imperatorem est coronatus. Filium quoque suum *Ottonem* ad se Romam venire fecit, qui & in natali Domini coronari regni ab eodem Papa accepit. Cui etiam filiam Imperatoris Graecorum in Italia matrimonialiter copulavit. Ejus quoque temporibus *Gero* defensor Patriae, cum *Sigefridi* unici filii sui morte non modicum turbaretur, senex jam effectus Romam pergens, coram altari Apostolorum principis *Petri*, arma victricia deposuit, & apud Dominum Apostolicum *S. Cyriaci* Martyris brachio impetrato, ad Dominum cum omni sua hereditate confugit: patriam quoque revisens viduam Nati sui *Hathuit* vocatam prius velatam, in monasterio constructo, quod suo signatur nomine [*Gerensode*] statuit Abbatissam, quam & *Bernhardus* venerabilis Episcopus consecravit. Defuncto autem jam dicto *Gerone* *Bernhardus* Episcopus Curtem, quam idem *Gero* *Magdeburgi* habuerat, ab Imperatore *Ottone* obtinuit, cum Ecclesia in honorem *S. Cyriaci* Martyris inibi constructa, & omni edificio Ecclesiae ejusdem, tempore vitae suae habenda. Ipse vero ob hujus muneris compensationem omnem decimationem tunc villarum, videlicet *Osolphstede*, *Asandorp*, *Nortammensleben*, *Magdeburgensi* Ecclesiae in id ipsum [perpetuis] temporibus concessit; ea tamen conditione interfecta, ut post suam mortem praedictarum villarum decimationes ad Halberstadiensem Ecclesiam sine difficultate redirent. Verum post mortem *Bernhardi* Episcopi conditionis praedictae vicissitudo mutua, licet scriptis

tam Imperatoris quam Episcopi denotata fuisset, Halberstadenſis Eccleſia nec curtem prædictam retinuit, nec ſuas decimas recepit. Idem quoque Episcopus conſtituit congregationem ſacraſta Monialium in *Hatbeimersleben*, cui de patrimonio ſuo, cum & decimarum, oblatione, ſolèrter quæque neceſſaria providere curavit, & innibi Domino ſamulantes jugiter nomen Domini benedicere, ſine omni ſeculari impedimento, verbis aſſiduè docuit & exemplis. Tantis igitur Præful DEI pollens virtutibus, vidit in ſomnis, ſe aſcendere ſcalam ad cælum erectam, vir qui mihi præſidebat [& à viro, qui inibi præcedebat] coram iudice præſentatus, aſſistere vidit 12. pauperes, nudos & fame conſectos. Expergeſacto igitur à ſomnis aſſuit & ſoror ſua, quæ inter mutuas collocaſiones neſcia, quid Fratri ſuo per viſum fuiſſet oſtenſum, fratri, quod & ipſa viderat ſomnium ſimile, referebat. Quod ille tam pie quam ſapienter exponens, duodecim, inquit, procuratores pauperum Deus fieri nos elegit. Sicque ambo de Patrimonio ſuo, quod ipſis jure hæreditario contigit, 12 pauperum ſtipendia, ob cæleſtis portæ ipſis pandendum introitum in perpetuum feliciter ſtatuèrunt. Sub eodem quoque Antiftite Monafterium *S. Stephani* propter vetuſtatem & operis vilitatem corruiſit, quod *Hildegrinus junior* Episcopus dedicarat. Venerandus igitur *Bernhardus*, plenus dierum, 48. Ordinationis ſuæ anno, 3. Non. Februarii obdormivit in Domino, & in prædicta Eccleſia in medio Chori corpus ejus honorabiliter eſt humatum.

Verſa noſtrarum fidium in luctum Cythara, & organo noſtræ ſpei in vocem ſilentium; juſtitia Domini rectè corda lætificans, & præceptum Domini oculos illuminando, lucernam, quæ omnibus, qui in Domino ſunt, luceret, ſuper candelabrum collocavit, videlicet *Hildewardum*, aureum decus piorum præſulum, rectitudinis normam, præſentibus & futuris vitæ ſuæ exemplum. Iſte quidem Eccleſiæ tunc præpoſitus, & ad hanc dignitatem à Venerabili *Bernhardo* Episcopo præſignatus, anno Domini 968. indiçt. 2. pari voto totius Cleri & populi unanimi acclamatione 3. Cal. April. ritè & canonicè eſt electus, & in Caſtello *Werle* conſtitutus: ab *Hermanno* Duce Saxonix Præful dignus Halberſtadenſi Eccleſiæ eſt tranſmiſſus. Nam *Otto* Imperator Romam pergens, provinciæ Saxonum interim procurandæ prædicto duci commiſerat poteſtatem. *Otto* igitur Imperator jam tum ſublimatione Præfulis intellecta, Romam ipſum poſt ſe venire mandavit. Cujus cum ſe conſpectui præſentâſſet, benigna ipſum affabilitate recepit, & ſecretum mentis, diu abſconditum ſecum jam naçta oportunitate revolvit: ſcilicet ob ſpem retributionis æternæ & deſenſionem communem patriæ, ſe ſemper deſiderium habuiſſe in urbe Parthenopolitana Archiepiſcopum faciendi, & quæcunque ſuæ forent beneplacita voluntati, fideliffimè ſe promiſit ei in omnibus pariturum, ſi ad perficiendum hoc votum ipſe ſibi ſuum præberet aſſenſum. Ipſe autem ut erat vir ſapienter & diſcretus, piæ ipſius petitioni annuere dignum duxit. Parochiæ igitur ſuæ partem inter *Oram* & *Albiam* & *Bodam* fluvios & inſuper viam, quæ *Friderici* dicitur, DEO, ejusque militi *S. Mauritio* & Imperatori conceſſit. Inſuper etiam charitative inductus ab eodem Imperatore, dedit Deo ſançtoque *Laurentio* Parochiam, ſitam inter fluvios *Wilerbicke* & *ſalfum Mare* & *Salam* ac *Unſtrut* & *Helmenam* & ſoveam juxta *Walckbuſen*, [&] *Mersburgum* [ad] Episcopatium in ipſa condendum. Tali itaque conſeſſioni Imperator applaudens, per manus ſuſcepit eundem, curamque Paſtorales cum baculo ipſi committens, inquit, ACCIPE PRETIUM PATRIS TUI.

Sic igitur *Hildewardus* gvus Eccleſiæ Halberſtadenſis Episcopus inſtitutus, domum rediens, à *Hatto* Moguntinæ ſedes Archiepiſcopo 12. Cal. Jan. Episcopalem benedictionem accepit. *Otto* autem M. & pacificus Imperator anno ordinationis *Hildewardi* ſexto, anno vero 3tio, poſtquam *Adelbertus* primus Magdeburgenſis ordinatus eſt Episcopus, in *Mimmlerwe* morte occubuit repentina, anno regni ſui 38. Non. Maji, anno 974, & ſepultus eſt in ſua civitate Magdeburg. Eodem vero anno *S. Udalricus* Auguſtensis Episcopus anno Præfulatus ſui 50. virtutibus plenus, migravit ad Chriſtum. *Adelbertus* etiam Magdeburgenſis Archiepiſcopus Imus, 13. Ordinationis ſuæ anno morte ſubitanea eſt extinctus. *Boſo* quoque Imus Merſeburgenſium Episcopus anno 1. præſidens, in Bavaria vitam finivit. Unde præſumitur manifeſte, quod dilecti ſui *Stephani*, Eccleſiæ Halberſtadenſis Patroni, Dominus injuriam, ulciſcendo, occupatores ſuæ Diœceſeos tam inopinata vindicta ſubtraxerit ab hac luce. Deſuncto *Johanne* Papa, *Benedictus* ei ſucceſſit, poſt quem *Sylveſter*, poſt quem item *Benedictus*, *Ottone* igitur Magno deſuncto, *Otto* filius ſuus, qui cognominatus eſt *Rufus*, patre vivente à *Johanne* Papa coronatus, ei ſucceſſit in regnum & imperium, & regnavit annos 9.

Hildewardus autem Episcopus venerandus, utilitatem ſuæ Eccleſiæ ſemper augens in bono, Monafterium *S. Stephani* Proto-Martyris, quod ut prædictum eſt, collapſum penitus invenit, à fundamentis ſtudioſiffime reparavit. Præfatam autem ejusdem Monafterii Cryptam anno 974, indiçt. 3. ordinationis ſuæ anno ſexto, die nono Nov. dedicavit in honorem *B. Mariæ* Virginis & *Stephani* Protomartyris, in cujus orientali parte conſecravit altare in honorem ejusdem intemeratæ Virginis *Mariæ*, in quo poſuit de ſepulchro *S. Mariæ*, reliquias *S. Thomæ* Apoſtoli, *S. Stephani* Papæ & Martyris *S. Servatii* &c. Ad meridiem vero conſecravit altare in honorem *SS. Martini*, *Gregorii*, *Auguſtini*, *Hieronymi*, *Benedicti*, *Nicolai* & omnium confeſſorum Chriſti. In quo etiam concluſit reliquias *S. Benedicti*, *Maniani*, *Wilhe-*
leha.

lehadî, Sixti & Sînniciî, (*) Lînderi. In Septentrione autem dedicavit altare in honorem B. Cecilîæ, Agathæ, Agnetis, Lucîæ, Mariæ Magdalena & Marthæ sororis ejus, Mariæ Ægyptiaca, & omnium virginum; in quo continentur reliquiæ virginum Cecilîæ, Anastasiæ, Magnæ & (**) Muritæ. Oratorium vero, quod super Cryptam est dedicatum, dedicavit in honorem S. Crucis & SS. Trinitatis. In cujus Oriente consecravit altare in honorem Trinitatis & S. Crucis, in quo conclusit de sepulchro Domini de ligno Domini & reliquias Matthiæ Apostoli, Cæsarii martyris, Vitalis martyris, Medardi &c. Ad meridiem autem consecravit altare in honorem SS. Petri & Pauli & omnium Apostolorum, in quo inclusit reliquias Jacobi & Philippi, Cornelii, Fabiani & Sebastiani. Ad aquilonem vero dedicavit altare in honorem S. Johannis Baptistæ & Johannis Evangelistæ, in quo conclusit de ligno Domini & reliquias Vigilii Martyris, Georgii, Pancratii, Alexandri Martyris. Anno Domini 980, indiçt. 8, suæ vero ordin. anno 12, Halberstadensem Ecclesiam idem Episcopus thesauro super aurum & Topazion pretiosi feliciter decoravit, sanguine B. Stephani Protomartyris cum ipsius sacris 2. articulis & de veste ejus, sicut reperta sunt in altari, in quo Drogo Magni Caroli Augusti filius, Mediomaticorum Archiepiscopus ea cum brachio ipsius tam pie atque religiose locaverat. Hæc dictus HILDEWARDUS ad Halberstadensem Ecclesiam, sub eodem Patrono militans, [transtulit. Unde ambæ Ecclesiæ] tanta fraternitatis & charitatis unione, mutua vicissitudine sunt connexæ, ut hinc inde transeuntibus Canonicis, plena altrinsecus istis illic, & illis istic stipendia ministrantur. Propealioris quoque familiaritatis privilegio sibi sunt altrinsecus alligatæ: ut si alterum Episcoposum de sede sua cedere, quocunque casu contingat, alter ipsum in domo & palatio suo recipere debeat sicut se ipsum, in omnibus procuraturus, quousque reciperet sedem suam. Hujus igitur unionis vicissitudine considerata venerabilis Dominus Theodoricus Metensis Episcopus Domino Hildewardo Episcopo suæque S. Ecclesiæ prætaxatas reliquias perpetuo inviolatoque dono delegare curavit; ut cum utriusque Ecclesiæ familia patrono militet sub eodem, ejusdem quoque curetur & dono. Susceptæ autem sunt hæc reliquiæ in Halberstadenſi Ecclesia 6. Id. Maji, à Clero & incomparabili multitudine populi cum ingenti tripudio, maxima gloria & honore. Quæ cujus fuerint sanctitatis & meriti, signis evidentibus divinitus est declaratum. Hunc ergo diem adventus B. Stephani Hildewardus Episcopus per omnem diœcesin suam statuit in perpetuum esse celebrem & solemnem.

Hic etiam Hildewardus decimo quinto ordinationis suæ anno Mersburgensem Ecclesiam, Pastore ejecto, Episcopali sede destructa, Halberstadenſi Ecclesiæ sicuti jure debuit subesse, reformavit. Gislerus autem idus Mersburgensis Episcopus Ecclesiæ Magdeburgensis constitutus est Archiepiscopus: Hildewardus autem in Mersburg statuit Abbatiam, quæ sub regimine Abbatum stetit usque ad Henrici tempora 2di Regis.

Otto vero Imperator Magni & I. Ottonis filius anno sui imperii 9. Hildewardi 26, 7. Idus Decembris ab hac luce migravit, & sepultus est Romæ, pro quo filius suus Otto sublevatus est in Regem. Hildewardus autem qui semper animæ suæ quam corporis meditabatur utilia: Monasterium S. Stephani Protomartyris, quod ipse à fundamentis ædificaverat, consummaverat jam ad unguem. Anno igitur Domini 991. Indiçt. 6, anno vero ordinationis suæ 24, 17. (***) Calendarum Novemb. templum jam dictum in honorem S. & individua Trinitatis, sanctique sui Protomartyris Stephani, confaventibus & conbenedicentibus XII Episcopis sub duodenario videlicet & Apostolicæ dignitatis typo, honorificè dedicavit. Aderant autem Archiepiscopi Willegisus Moguntinæ sedis, Gessellarius Magdeburgensis, Livezo Hammaburgensis Archi Episcopi, cum [aliquot] illorum suffraganeis Episcopis: [nam] aderant etiam Ludolphus Augustæ Civitatis, Waldebalduſ Wormatiensis, Retarius Padebornensis, Hildericus Havelbergensis, Erpo Fardunensis, Urso Paduanæ sedis, Hugo Zitiensis, Rembertus Nielemburgensis Episcopi. Hi XI conbenedictores Domini nostri Halberstadenſis Episcopi extiterunt. Aderant præterea Agro Capuanus Archiepiscopus & Johannes Placentinus Archiepiscopus & Renwardus Tridentinus Episcopus. Abbates vero Munsocafini [Montis Casini] monasterii pater, Timarus Abbas novæ Corbejæ, Libezo Luneburgensis Abbas, Otradus Mersburgensis Abbas, Lambertus Longensis Monasterii institutor, cum aliis plurimis Monachis & clericis dedicationi illi cooperati sunt. Interfuit etiam dedicationi huic Serenissimus Rex Otto 3tius, Corona caterisque Regalibus solemniter insignitus, qui summa devotio- ne & humilitate baculum suum aureum obtulit ad Altare Beati Stephani: qui usque hodie in Ecclesia Halberstadenſi est servatus. Adfuit quoque clarissima Adelheidis Augusta cum sua filia, Regiæ stirpis gemma prælucida, Matilda videlicet, Quedelinburgensis Ecclesiæ Abbatissa, & nepte sua Hedowiga Gerenrodensis Cænobii Abbatissa, quæ bonarum actionum fama illustres, S. altare precibus almis & munere regio decorabant. Omnes Saxonie Principes, Dux quoque Bernhardus & Ludolphus Comes . . . plurimique illic con-

P 3

venien-

(*) Forte & hic & sequentibus, ubi nomen Sancti Lînderi occurrit, legendum est Luderus sive Ludgerus,

(**) An leg. Marina, quæ colitur 17. Julii apud Græcos?

(***) Ditmarus habet 12.

venientes proceres & presbyteri cum innumera vulgi multitudine, in laudem Dei exultantibus animis & vocibus acclamabant. Nunquam fuit antea nec postea, ut veraces affirmant, in divinis laudibus & in negotiis secularibus plenius cunctisque acceptius solennitas celebrata. Festivitas autem erat eadem in die natalis Confessoris Christi *Galli*, in cujus Monasterio prædictus Præful fuerat educatus; & ideo semper votivum habuit desiderium, in ipsius festo compos effici sui voti. Adjuvit autem ipsum in omnibus his quidam Capellanus suus (*) *Hido* nomine, prudentissime omnia ordinans & disponens.

Consecravit autem Dominus *Hilwardus* majus Altare sanctæ & individue Trinitati primoque suo militi *Stephano*, adornans illud quasi caput sponse per 12. lapidum compositionem, [propter] 12. Episcoporum unctioem: sub quo recondidit particulam S. Crucis & de præsepio & sepulchro Domini, barbam S. Petri & de corpore ejus, & de veste *Johannis Evangelistæ*, *Philippi* & *Bartholomæi*, omnium Apostolorum, reliquias, sanguinis S. *Stephani Protomartyris* cum sacris sui Corporis Articulis omnibus, Martyrum quoque reliquias *Laurentii*, *Felicis*, *Agapiti*, *Januarii*, *Marcellini* & *Petri*, *Pancratii*, *Georgii*, *Nicassii*, *Urbani*, *Bonifacii*, *Anastasio*, *Dionysii*, *Eleuterii*, *Cyci*, (**) *Hyppoliti*, *Blasii* confessoris, *Martini*, *Luderi*, *Servatii*; *Virginum*, *Linderudis*, *Vincenciæ*, *Euphemie*. Ad meridianam plagam hujus Altaris Venerandi, *Gisfarius* Magdeburgensis Archiepiscopus dedicavit Altare in honorem Beatorum Martyrum *Mauritii*, *Exuperii*, *Candidi*, *Innocentii* & *Vitalis*, & totius eorum exercitus reverendi; quod & dotavit veste sancti *Mauritii*: reliquiis vero *Exuperii*, *Candidi*, *Innocentii* & *Vitalis*. Ad Aquilonem præcipui Altaris *Lievezo* Hammaburgensis Archiepiscopus consecravit altare in honorem B. Martyrum *Viti*, *Justini*, *Cyriaci*, in quo condidit ejusdem reliquias *Cyriaci*, *Eustachii*, *Longini Militis* & *Willehadi* Episcopi, in cujus & memoriam idem altare dedicatum est. Ad januam monasterialis claustris versus austrum *Erpo* Fardunensis Episcopus consecravit altare in Honorem S. *Clementis* Papæ & *Martyris*, & *Sanctæ* *Ceciliæ*, quo posuit reliquias *Clementis* & Martyrum *Georgii*, *Marcelli* & *Martini*. In septentrione ad januam Episcopalis cubiculi *Reitbarius* Padebornensis Episcopus consecravit altare in honorem S. *Dionysii* & sociorum ejus sanctiq; *Liborii* Confessoris, in quo posuit reliquias *Dionysii*, *Parthi* & *Hiacinti* & *Mathalberie* Virginis. In Altari S. *Crucis* positum est de ligno Domini & reliquie *Georgii* & aliorum Sanctorum. Ad occidentem Ecclesie in altioris Chori medio consecravit Altare *Hugo* Zitiensis Episcopus in honorem Martyrum *Sixti* & *Felicissimi* & *Agapiti* & *Januarii*. Ad hujus Altaris meridiem *Hilboldus* Wormatiensis Episcopus consecravit altare in honorem sanctorum Martyrum *Laurentii*, *Hippolyti* IV. (***) & veste sanguinolenta *Wenceslai* Martyris. Ad Aquilonem vero *Ludolphus* Augustensis Episcopus dedicavit Altare in honorem SS. Martyrum *Sebastiani*, *Bonifacii*, *Linderi*, *Magni*, *Odalrici* & *sanctæ* *Afræ*, cui inclusit reliquias *Sebastiani* *Pantaleonis*, *Juliani* & *Basilisæ*. Supremum altare dedicavit *Willegisus* Moguntinæ sedis Archiepiscopus in honorem Sanctorum Angelorum *Michaelis*, *Gabrielis* & *Raphaelis* & omnium civium supernorum, & insuper in memoriam B. *Martini* Episcopi & S. *Galli* Confessoris, in quo etiam condidit reliquias *Georgii*, *Blasii*, *Castodii* nomina Sanctorum, quorum reliquias *Hildebrandus* Episcopus reperit sub altare S. *Stephani* antiquitus reclusas: & illic recondidit de sepulchro Domini, de ligno de præsepio Domini, de Columna, ad quam ligatus fuit, de Calvarii loco, de lapide in Jordane invento, de monte Oliveti, de monumento Lazari, mixtura Balsami, reliquie S. *Mariæ* Virginis, de pallio ejus, de Spongia Domini, de Corpore S. *Johannis Baptistæ*, *Petri* & *Pauli*, *Andræ*, *Johannis Evangelistæ*, *Matthæi*, *Bartholomæi*, de stola *Petri* Apostoli, de corpore *Stephani Protomartyris*, brachium S. *Sixti* Papæ, & pars capitis ejus, reliquie Martyris *Felicissimi*, *Agapiti*, *Januarii*, *Fabiani* & *Sebastiani*, *Costa* *Sebastiani*, & reliquie *Laurentii*, *Viti*, *Marcelli* *Papæ*, *Apollinaris*, *Georgii*, *Blasii*, *Abdon*, *Magni*. *Costa* *Timothei*, *Johannis* & *Pauli*, *Crispini* & *Crispini*, *Marcelli* & *Petri*, *Valentini*, *Hyppolyti*, *Alexandri*, *Zenonis*, *Nazarii*, *Demetrii*, *Laurentii*, *Felicis*, *Adauctus*, *Vincentii*, *Martiniani*, *Tiburtii*, *Sergii* & *Bacchi*. Magna pars Capitis *Urbani* Martyris, *Processi*, & Martyrum 4. coronatorum, *Costa* *Cyriaci* martyris, *Dens* S. *Nicassii*, *Sylvestri* *Papæ*, *Cyriaci* *Diaconi* & aliorum innumerabilium SS. Martyrum, Confessorum *Virginum*que.

Construxit præterea supra dictus Episcopus hic in Castello *Stuterlingeburg* monasterium, in quo vitam sanctimonialium ordinavit, quod anno Domini 997. consummatum, ordinationis suæ anno 27. 14. Cal. August. honorificè dedicavit. Hic etiam ab Imperatore *Ottone* concessionem & statuta Imperatorum obtinuit regie auctoritatis privilegio Halberstadeni Ecclesie communiri. Insuper etiam mercatum in Halberstat & Osterwic habendum, cum teloniis ac monetis, ac regio banno, in utrisque locis tenendis & accipiendis, & regalem *beri bannum* super milites liberos & servos ejusdem Ecclesie ab Imperatoris munificentia Halberstadeni Ecclesie impetravit, quæ ex suo interventu sibi suisque catholicis successoribus regis privilegiis sunt inviolabiliter stabilita.

Hic

(*) Apud Ditmarum Hildo.
IV. (***) Desunt hic quædam.

(**) An *Cyrus*? cujus memoria celebratur d. 31. Januarii.

Hic igitur tanta vixit perfectione, quod ab antiquorum Patrum conversatione videbatur nullatenus deviare. Exemplum caritatis B. Stephani pro inimicis Dominum exorantis in pectore suo adeo repositum ostendebat, quod inimicos non minus quam amicos veræ dilectionis vinculo diligebat. Quantæ modestiæ, quantæ compassionis & pietatis, quam hospitalis, quam ultra facultatem largus in Eleemosynis fuit, quantæ patientiæ & humilitatis, quam pacificus in doctrinis & exhortationibus, quam malorum oblitus, enarrare nullus posset. Cum ecclesiam igitur & commissum sibi gregem, ut verus Israelita, 29. annis gloriosè rexisset, in agone sui exitus constitutus, vidit gloriam Domini, & vocato ad se Capellano suo *Ulfario*, inquit; Vides aliquid, fili? Qui cum nil se videre respondisset, dixit ei: Caminata, in qua jaceo, & in qua duos antecessores mei obierunt, majestate Domini plena est: & hæc dicens, hostia Christi immaculata, 7. Cal. Sept. de hoc carcere ad indeficiens lumen transivit; corpus vero ejus in claustrum, ubi ipse, instinctu Spiritus humilitatis, sibi locum cum fratribus suis paraverat, est sepultum.

Post decessum tanti Patris cum Ecclesia ad electionem alterius confedisset, major & fanior pars Capituli *Hiddonem*, præfati Antistitis fidelissimum cooperatorem in Pontificem elegerunt: sed hoc Satanae membris impediens, cum electione unanimi nequirent concordare, *Arnolphus* de curia Regis Halberstadenſis Ecclesiæ ab *Ottone III.* est præfectus. Sic enim ille vir sanctus *Hildewardus*, dum viveret, cunctis, qui tunc præſentes fuerunt, ambientibus prophetaverat: hunc, inquiens, hospitem honorate, & quantum potestis, illi servite; hic enim providere vos debet post me. Anno igitur Domini 996, regni autem *Otonis III.* 14, *Arnolphus* Halberstadenſis Ecclesiæ nonus Episcopus ordinatur, qui, licet ordine nonus, nulli tamen fuit probitate secundus.

Eodem anno monasterium in *Quidelingeburg* latiori & altiori modo, quam prior fuisset structura perfectum, *Arnolphus* Episcopus confaventibus Archiepiscopis & Episcopis compluribus 6. Idus Martii divina favente clementia dedicavit. Eodem etiam anno *Wallebicensis* Ecclesia ab *Arnolpho* Episcopo honorifice dedicatur. Eodem quoque anno *S. Adelbertus* Episcopus de *Praga* civitate, à *Pruzis* glorioso Martyrio est coronatus 9. Cal. Maji.

Præfatus *Arnolphus* 3tio suæ ordinationis Anno *Adelbeiden* *Quidelingeburgensis* Cœnobii *Abbatissam*, 3ti *Otonis* Regis sororem, in festo *S. Michaelis* iterata electione, adstantibus Episcopis & *Domina Sophia* sorore sua majore, & nepte sua [Monasterii] *Gerenrodensis* *Abbatissa Hattewiga*; cunctis quoque regni primatibus utriusque sexus coram altari *S. Petri*, *Apostolorum Principis*, & *S. Stephani Protomartyris* honore congruo benedixit. Hæc venerabilis *Abatissa* in *Quedlingburg* Dominum *Arnolphum* Episcopum invitavit; qui cum festivitatem eandem honorifice celebrasset, & totius ejusdem Ecclesiæ familiæ placuisset, ipsa *Abatissa* concepit in corde suo quatenus ipsa ad celebrandum hoc festum in *Quedelingeburg* annuatim Halberstadenſem Episcopum obligaret. Unde cum ipsa fratri suo Imperatori desiderium suum aperuisset, & suam super hoc consilium implorasset: Ipse Imperator dixit: Se timere non hoc expedire, & propter cursum tumultuantis populi propter festum, & expensas immoderatas ob hoc ab Ecclesia faciendas. Ipsa adhuc *Abatissa* in honesto suo proposito constanter perseverante, Episcopus ut pius & benignus, volens Imperatoris suspicionem auferre, & suo desiderio & *Abatissæ* satisfacere, de decimis Halberstadenſis Ecclesiæ tantum contulit *Quedelingeburgensi* Ecclesiæ, ut ipsa Episcopum cum omnibus sibi advenientibus ea solennitate de eis posset uberrime procurare. Et sic consuetudo illa tam laudabilis, quam honesta usque ad tempora nostra inter Halberstadenſem & *Quedelingeburgensem* Ecclesias irrefragabiliter est servata.

Anno autem ordinationis *Arnolphi* 7. 3tius *OTTO* Imperator anno regni sui 20, Imperii vero 14, 9. Cal. Febr. omni populo Christiano laudatus, ab hac vita discessit in Sinu *Abrahæ Patriarchæ*, ut vere creditur, collocatus. Hic adhuc vivens pro spirituali dilectione, quam habuit ad Dominum *Arnolphum* Episcopum, contulit Ecclesiæ Halberstadenſi Bannum sui que juris proprietatem super 6. forestos, quorum hæc sunt nomina: *Hakil, Hny, Valsestein, Assa, Elm, Nordwald.* Hos forestos, cum terminationibus eorum, quos ex una parte dividit aqua, quæ dicitur *Sontra*, ex sui fontis origine usque ad Villam *Ossendorp*; inde per viam, quæ tendit ad vicum *Vallereslebe*, item inde viâ, quæ ducit ad *Alleram* fluvium. Fluvius autem *Oværa* sursum usque *Net* fluvium. Tradidit autem hos forestos, ut in his terminis eorum nulli mortalium liceat cervum aut cervam, aprum vel suem, vel hujus generis quicquam capere vel venari, sine ejus vel suorum licentia successorum, & hoc regie munitionis privilegio roboravit.

Hic etiam Imperator *S. Brunonem* *Magdeburgensis* Ecclesiæ Canonicum, de Castro *Quernefurde* nobilis viri Domini *Brunonis* filium, spiritualiter dilexit & imperialis aulae capellanum fecit. Qui tandem secularis conversationis tumultuationem non sustinens, in Italiam proficiscens, habitum religionis induit, & Monachum se fecit: exinde cum 2. confratribus sui cœnobii, *Benedicto* & *Johanne* *Eremitæ* solitudinem inhabitavit, tandemque eosdem confratres suos de consilio Domini *Otonis* Imperatoris in *Poloniam* misit, ipseque Romam proficiscitur, à Domino *Papa* licentiam accepturus cum iisdem suis confratribus, in augmentum coronæ suæ,

suæ, Paganis gentibus Christi Evangelium prædicare. Præsedit tunc temporis Romanæ Ecclesiæ *Sylvester* Papa. Hic antea dictus *Gerbertus*, ducens originem generis [ex] occidentaliū [Francorum] partibus, Philosophicæ artis instructissimus erat: postea vero *Remorum* urbi Pontifex institutus, sed Zelo populi inde expulsus, ad *Ottonem* Imperatorem III. venit, qui ipsum satis honorifice sustentavit. Ipse enim in *Magdeburgo* existens horologium quoddam honestum satis ibi fecit. Constituit illud recte, *considerata per fistulam quandam stella duce nautarum*. Vacante autem tandem Romana sede, auxilio Imperatoris *Ottonis* ad dignitatem Præfulatus ejusdem ascendit: qui *B. Brunonis* agnoscens causam adventus, licentiam ei cum sociis suis tribuit prædicandi. Pallio quoque sibi dato, remisit eum ad *Magdeburgensem* Ecclesiam, per *Tagmonem* in Gentis præfulem consecrandum. Compos igitur voti sui factus, in terram nativitatis suæ rediit: in qua aliquamdiu moram faciens, post Consecrationem suam mira perfectione claruit, ita, quod pedester super aquas incessit. Illo quoque egrediente de Saxonia, sub pedibus aselli ejus in saxo mollebantur vestigia, quæ apparent usque in hodiernum diem. Tandem de patrimonio suo aucto & ditato satis decenter Monachorum collegio, ipse cum octodecim sociis profectus est in *Pruziam* sive *Borussiam*, & pro fide Christi, quam prædicabat in eadem provincia, à gentibus *Pruzicæ* beluina feritatis, multis suppliciis afflictus, manibus pedibusque abscissis, postremo capite plexus, stipante illum collegio 18. sociorum, illic cum ipso pariter decollatorum, palmam Martyris est adeptus, Anno videlicet Domini 1008. 16. Cal. Martii.

Defuncto igitur *Ottonem* Imperatore 3tio, *Henricus* Dux *Bavaricæ*, ad quem summa Imperii pertinebat ex propinquitate generis Regum priorum, ad Regiam celsitudinem est elevatus. Tempore illius *Hofalaria* [*Gofalaria*] primum conditur, & ab eodem Rege studiosè incolitur. Hic etiam anno Domini 1006. *Bavenberg* Episcopatum construxit. Anno ordinationis *Arnolphi* 2do, *Heremannus* Comes de *Hfenburg* frater ejus obiit Cal. Jun. & in Claustro *Monasterii* ante januam sepelitur. Ejusdem quoque ordinationis anno 13. *Ludolphus* *Trevirensis* Archiepiscopus, vir mitis, præclarus, justus & pius (7. Id. April.) in villa *Erpostede* vocata, ex qua ipse oriundus fuit, vitam præsentem finivit: corpus vero ipsius in Ecclesia *S. Stephani* in *Halberstade* ante altare *S. Crucis* honorificè sepelitur.

Anno 22. ordinationis *Arnolphi*, *Adelgerus* Præpositus *Halberstaden* obiit. Idem autem venerandus Pontifex multa Ecclesiæ suæ providens utilia, *Halberstaden* Civitatem, quam ex antiquitate collapsam invenit anno ordinationis suæ 2, cœpit studiosus reparare. Hanc etiam postea, anno videlicet ordinationis suæ 23, multis civitatibus incomparabilem, consummavit, atque Feria 6. ante nativitatem Domini in honorem omnipotentis DEI & sancti Protomartyris *Stephani*, pontificalibus indumentis vestitus, circummeundo asperfit & benedixit, & suo Banno Civitati pacem perpetuam fecit, & immunitate insolubili locum sanctum firmavit. Civitates etiam omnes, quos in possessione sua dirutas reperit, in melius reparavit. Præterea fratrum suorum stipendia bene auxit, & vestitum eorum annua pensione quinque solidorum augmentavit. Acquisivit quoque *S. Stephano* non rapinis, sed lucris congruis & honestis, 1200. mansos, exceptis mancipiis utriusque sexus, & *Molendinis*, pratis, areis, sylvis, fossis, salictis & aliis quam plurimis, quæ explicari non possunt. Ornatum quoque Ecclesiæ in palliis, in Missalibus, indumentis ad quoslibet ordines pertinentibus, sine numero multiplicavit. Tabulam quoque Altaris præcipui auro puro & gemmis nobilius decoravit, Thuribulum aureum & acerram de auro, & calicem magnum aureum cum patera, & varia ornatuum genera, quæ definire non possumus, *B. Stephano* erogavit. Idem quoque *Arnolphus* anno ordinationis suæ 25 templum in *Quedlinburgensi Castello*, præsentem Rege cum Archiepiscopis & Episcopis & Proceribus: Vulgi quoque innumerabili multitudine anno Domini 1021. laudabiliter dedicavit. Idem quoque Præful *Arnolphus* a *Henrico* Imperatore concessionem & statuta antecessorum Imperatorum, Mercatum quoque in *Osterwieck* & *Halberstadt*, cum teloniis ac Monetis & regio banno, in utrisque locis tenendum & accipiendum, & regalem *Heri-bannum* super milites liberos & servos *Halberstaden* Ecclesiæ, eidem Ecclesiæ renovari, dari & suo regio privilegio confirmari sagaciter impetravit.

Hujus etiam temporibus Anno Domini 1003. Indict. I. anno *D. Henrici* Regis 2, adunatis in *Merseburg* Archiepiscopis & Episcopis, Ducibus & Comitibus, præsentem Bibliothecario Romanæ Ecclesiæ *Leone* Episcopo, idem Rex *Henricus* de communi auxilio omnium ab *Arnolpho* Episcopo impetravit partem suæ dioceseos, quantum videlicet circa fluvium *Salam* *Mersburgensis* territorii protenditur ambitus, & instinctu sanctæ suæ conjugis *Cunegundis* reginæ, Episcopatum *Merseburgensem*, quem prius *Otto* Imperator ad honorem *B. Laurentii* Martyris instituerat, reformavit, eidem continuo *Wibertum* Episcopum ordinando. Pro recompensatione autem horum terminorum Rex *Henricus* de proprietate sui juris *Halberstaden* Ecclesiæ tradidit lege perpetua 100 Mansos *Litonum* & *Servorum* in his villis: In *Villa Unsei*, (*) & decimam manforum, (**) in *Sarekshidde* 18 Mansos, & decimam in *Hal-*
drum

(*) Decet hic numerus manforum, (**) Locus corruptus.

drungin, 11. Manfos in *Seon*, 6. M. in *Wisserodi* & proxima *marca* 17. M. in *Dornetta* 18. Manfos. Hos igitur Manfos Halberstadenſi Eccleſiæ datos in perpetuum poſſidendos, regio privilegio confirmavit. Eodem etiam anno idem *Henricus* Rex, Domino Arnolpho Epifcopo efficiente, tradidit ſibi ſuæque Halberſtadenſi Eccleſiæ civitatem *Iſfenburg*, & quicquid regali pertinuit poteſtati intra muros vel extra, cum omnibus appendiciis, poſſeſſionibus, utilitatibus eidem prædio legaliter pertinentibus, mobilibus & immobilibus, ſervis & ancillis, arcis & ædificiis, terris cultis & incultis, pratis, paſcuis, ſylvis, aquis, aquarum decurſibus, piſcationibus, molendinis, viis & inviis, exitibus & reſtitibus, quaſitis & inquirendis ac cæteris, quæ quolibet modo rite vocari aut inveniri poſſunt, utilitatibus & pertinentibus: quæ omnia Halberſtadenſi Eccleſiæ liberaliter data, Arnolpho regio etiam privilegio communivit.

Henricus 6to regni ſui anno *Episcopatum Bavenbergenſem* in honorem S. Petri & S. Georgii glorioſe conſtruxit; 12. vero regni ſui anno à *Benedicto* Papa imperiali Diademate cum multa fuit gloria coronatus. Venerabilis autem Arnolphus Epifcopus ab eodem Papa *Benedicto* confirmationem & privilegium impetravit ſuper terminis Epifcopatus Halberſtadenſis: & hos pagos *Hardengau*, *Derlingawe*, *Nortiringen*, *Belekifchem*, *Sueviam* & *Hafingowe*, excepta tamen determinatione inter viam, quam dicunt *Friderich-Weg*, ac tres fluvios *Albiam*, *Bodam* & *Oram*, & quantum per interventum *Henrici* Imperatoris *Merſeburgeniſi* Eccleſiæ eſt permiſſum: & omnia, quæ *Ludovicus* Imperator Halberſtadenſi Eccleſiæ præconceſſit, autoritate privilegii Apoſtolicæ obtinuit confirmari. Ut autem Termini Halberſtadenſis Diœceſis deinceps maneat inconvulſi, idem Epifcopus expreſſus eos circumſcribi fecit & vocari in hunc modum: Verſus *Verden* contra Aquilonem, ubi *Pfacine* [*Prifatine*] fluvius inſluit *Albiæ*: Ab hinc uſque ubi *Ora* fluvius inſluit *Albiæ*, quo in loco conveniunt Epifcopatus Halberſtadenſis & *Magdeburgeniſis*: ab hinc aſcendit contra fluvium *Oram*, uſque *Niendorf*, & ab hinc aſcendit per ſemitam, quæ tranſit indaginem intra *Haldesleben* & *Medebeck* uſque in *Biveram* fluvium, per aſcenſum *Biveræ*, uſque quo ei inſluit *Alpha* fluvius, & per aſcenſum *Alpha* uſque ad ortum ipſius: ab hinc uſque ad viam quæ dicitur *Friderichs-Weg*, & ab hinc uſque ad *Wanſleben* in *Sceram* fluvium: ab hinc per deſcenſum *Sceræ* uſque *Blickendorf* ſuper *Bodam*, & per deſcenſum *Bodæ* uſque in *Salam* & per aſcenſum *Sale* uſque in rivum, qui tranſit *Bogendorf*, qui rivus ſeparat [*Dioceſin*] Halberſtadenſem & *Merſeburgeniſem*: deinde per viam, qua itur per *Criſtidde* uſque *Bunone* [*Bunove*] ab hinc uſque ad tranſitum *Salæ* in *Curewate*, & ſic per aſcenſum *Salæ*, uſque quo inſluit *Unſtrod* fluvius *Salæ*, & per aſcenſum *Unſtrod* uſque quo confluunt *Unſtrod* & *Helmena*, & per aſcenſum *Helmenæ* uſque ad foſſatam *Walghuſen*, & per aſcenſum foſſatorum uſque ad ſeparationem *Saxonie* [&] *Thuvingiæ* verſus montana, quæ dicuntur *Hat* [*Hart*] & ab hinc uſque ad ortum *Wipperæ* fluvii: ab ortu hujus ad fontem, quæ *Roringeborne* dicitur: ab hinc uſque ad rivum *Krodenbeck*: ab hinc uſque ad arbores, quæ dicuntur *Seven Eiken*: ab hinc uſque ad ſemitam, quæ dicitur *Heidenſteg*, & per eandem ſemitam uſque ad fluvium *Calveræ* & per deſcenſum *Calveræ* uſque in fluvium *Onegare*, & per deſcenſum ejus uſque ad pontem *Ellardesheim*; a ponte uſque ad montem *Wallenberg*: ab hinc uſque per viam, quæ deſcendit per villam *Boele*; à *Boele* uſque in fluvium *Allexam*, & per aſcenſum ejus, uſque quo ei inſluit fluvius *Tine*, per aſcenſum ejus uſque *Stoken*: ab hinc uſque ad lapidem, quæ dicitur *Binkenſtein*; & ab hinc uſque ad terminos *Wittinger* villæ; & ab hinc uſque ad *Tiliam* juxta *Ordorp*, à *Tilia* uſque in viam, quæ dicitur *Heckeriches-Weg*, & per viam uſque ad ortum fluvii *Rodowe*, & per deſcenſum ejus uſque in fluvium *Terne* & per deſcenſum ejus in fluvium *Prifatine* & per deſcenſum ejus uſque quo ipſe inſluit *Albiæ*.

Foris igitur terminis ſuæ diœceſis taliter circumſcriptis, Venerandus Dominus Arnolphus Epifcopus intus ad ſe reverſus, Zelo charitatis & devotionis accenſus, ut perpetuam ſibi benedictionis memoriam compararet; infra ambitum muri Eccleſiam in honorem *DEI* omnipotentis & intemeratæ & glorioſæ ſuæ genitricis ſemper *Virginis Mariæ* conſtruxit, *Præpoſituram* & *Canonicorum* vitam ordinans in eadem: & quia mente provida intuebatur, quod bonum & jucundum eſſet, ſub religionis catholice unitate habitare fratres in unum, duas has fraternitates, fraternitatem inquam *B. Stephani* Protomartyris & *S. Mariæ* *Virginis*, ſub una regula diſciplinæ Eccleſiaſtica adunavit, nec minus ſimili conſuetudinis lege in exterioribus colligavit. Denique ut diſſenſionis pravæ contentionem, & concertationis diræ ſeditionem penitus exſtirparet, conſilio & conſenſu nominatæ fraternitatis *B. Stephani* hoc juſtitia donum fratribus *S. Mariæ* donavit, ut in omnibus ſtationibus, in Choro, in menſa proximum ſemper habeant locum. Areas quoque & ædificia cæterasque res, quæ à fratribus *S. Stephani* in hac civitate dari vel vendi poſſunt, & ab eis recipere & ſua eis dare liberam habeant facultatem. Denique ut hæc conditio & mutua fraternitatis traditio ſit firma ſemper, & inconvulſa, ſicuti pius & manſuetus, providus & diſcretus coram omnibus banno ſuo ſolemniter confirmavit: Quod & poſtmodum venerabiles ſucceſſores ſui *Branthogus* & *Burchardus*. Tempore autem Venerandi *Burchardi*, cum quidam contentioſa elatione pacem & unitatem fratrum diſturbare & in deteſtabilem diſcordiam deducere præſumſſent: Idem Antifreſ graviter ingemifcens, noxam execrabilis calumnie non verbo redargutionis ſed ſpectabili

blli probitate & mansuetudine detergere cupiens & pacificare, fratribus convocatis, simplicem justitiam, iudicio majoris Ecclesie repoposcit, & prætaxatam fraternitatis traditionem, baculo pastoralis innixus, efficaciter renovavit, & sub stola sanctitatis & justitiæ banno suo inviolabiliter confirmavit.

Arnolphus igitur DEI famulus, & divina semper sapientia præditus, 27mo ordinationis suæ anno, 7. Id. Septembr. creditum sibi talentum cum lucro reddidit Domino, cujus corpus ante januam claustrum erga Hildewardum Episcopum juxta fratres suos fuit traditum sepulture. Post hujus igitur dormitionem clerus totusque populus quendam *Heremannum* natu nobilem, sed morum actorumque probitate nobiliorem, seniori suo Antistiti eligunt successorem, maximè quod proceres, militari habitu B. Stephano servientes, innumera præberent munera, & hæreditates proprias potestati Regiæ subdere essent parati, ut firmitatis robur, præfata Electio retineret. Sed quo id fieri nequiverit divino iudicio, utrumve id peccatis & [iniquitate nostra] frustratum fuerit, vel an illum divina pietas, majoribus auctum virtutibus & perfectiorem, ad hoc mysterium aliis temporibus reservaverit, occulto DEI iudicio censuimus relinquendum. Anno igitur Domini 1024, Regni autem Henrici 25, Imperii vero 12. Dominus *Branthogus*, qui Fuldensi Abbatia fuerat sublimatus, sed ob justitiæ defensionem, quam semper dilexit, cum suis fratribus lite dissidentibus eiectus, ab Imperatore, Henrico in die Natalis Domini in *Bamberg* nostræ Halberstadeni Ecclesie est præfectus, & 6. Cal. Jan. est ibidem in Episcopum consecratus.

Eodem autem anno HENRICVS Imperator 3. Id. Jul. ex hoc seculo, vocante Domino, est assumptus, qui fuit Romani Imperii gloriosum decus, ex Augustæ nobilitatis gradu. Dominam Cunigundam Imperatricem duxerat in uxorem, quæ copulariter non carnaliter, sibi juncta, cum cœlibem duceret vitam; ipsa quoque Imperatrix Regi cœlesti virginitatem suam consecravit, quam & de pio consensu casti conjugis usque in finem divina favente gratia conservavit. Diabolus igitur humani generis inimicus, dum thorum immaculatum non valuit fauciare, ejus famam, cui vulnus corruptionis infligere non potuit, lædere intentavit. Facta igitur erat auctore Diabolo suspecta criminis, quæ maculam non noverat corruptionis. Quæ, dum expurgationis gratia super candentes vomeres incessura, sicut ovis ad occisionem duceretur, fiducialiter ait: DOMINE DEUS, Creator Coeli & terræ, qui probas renes & corda, judica iudicium meum, & eripe me. Te enim testem & iudicem invoco, quia hunc *Henricum* nec alium quemque virum carnali commixtione unquam cognovi. Hoc dicto stupentibus universis vomeres candentes calcavit, & secura sine adustionis molestia nudo vestigio pertransivit: & sic divina gratia virginitatis hostem confudit, & os loquentium mendacia contra virginem Christi obstruxit. *Henricus* igitur piissimus Imperator suæ castitatis patientissimus semper custos fuit, conjugiumque non voluptatis sed sanctæ voluntatis [gratia iniiit] unaque fides inviolatæ castitatis, quoad vixerunt, existit inter eos; parque animus in multifariis virtutum effectibus, pares in duobus ostendit affectus. Et licet prolem terrenæ fecunditatis non ediderint, generationem tamen à Domino cœlitem receperunt, à quorum ore nunquam laus deficiet divina. Nam *Mersburgensem* Episcopatum pariter restaurarunt: Episcopatum quoque *Bambergensem*, sicut hæctenus cernitur, studiofissimè condiderunt, ad quem etiam confirmandum dictus Imperator *Benedictum* Papam cum 82. Episcopis invitavit.

De vita etiam & virtutibus, quas fecit in domo Domini, de signis quoque & miraculis, quæ post transitum ipsius per eum fecit DEUS, satis dignè conscripta sancta recepit Ecclesia. In ipso autem sui transitu anniversario die sancta Imperatrix in confrigenti Ecclesia in *Bamberg* [in *Caufungensi* Ecclesia] tam ArchiEpiscopis quam Episcopis convocatis, inter Missarum solennia, cultu imperiali decentissime se ornavit. Prælecto autem Evangelio curis secularibus, sicut diu desideraverat, se cupiens exonerare, ante principale altare procedens, Regalem purpuram exuit, & Vestem religionis assumpsit. XV. autem annis vivens in hoc proposito, quantæ sanctitatis & perfectionis [præstantia] in ipsa extiterit, quæ Dominus per ipsam operatus est, signis evidentibus est ostensum.

Defuncto igitur, ut prædictum est, piissimo Imperatore *Henrico*, *Conradus* Princeps propinquior sibi genere ei successit in Regnum. Qui Regni sui anno primo filium suum *Henricum* regem fecit; ipse quoque Romam pergens imperialem benedictionem accepit. Hic etiam *Spirensis* Episcopatum [Episcopium seu Episcopalem Ecclesiam] condidit. Temporibus etiam suis Pagani, qui *Liuricii* dicuntur, *Wirbinam* Castellum, in confinio Saxonie positum, ceperunt, multis in eo Christianis captis & occisis: quos Imperator persequens cum exercitu suo, eos imperio subjugavit. Idem Imperator filio suo *Henrico* filiam Regis, *Danorum* [Cunegildem] matrimonialiter copulavit. Hujus & temporibus Ecclipsis solis generallis facta est.

Anno Domini *Branthogii* Episcopi ordinationis decimo: *Livezo* Hammaburgensis Archi-Episcopus mortem subiit temporalem, cui fuit Dominus *Hermannus* Halberstadiensis Præpositus substitutus. Verum tempore *Branthogii* ob justitiam, quam dilexit & defendit, homines sui debitum sibi obsequium impensuri, ad tantam inopiam sunt redacti, quod in vehendis curri-

curribus corporaliter cogebantur annecti. Quæ dum quadam die pertransiens conspexisset, graviter ingemuit, & ut terra ad suum rediret statum, spontaneum elegit exilium, *Conradi* regis ad Regem Græcorum legationem assumens. Per aliquos igitur annos a suis finibus se absentans, cum tandem rediisset, tot bonis refertam reperit terram suam, quod in civitate Ecclesiam in honorem S. Johannis Baptistæ & Johannis Evangelistæ construxit, & vitam Canonicorum ordinans in eadem, de decima collectarum sibi rerum ipsam congrue fatis locupletavit. Aliam quoque Ecclesiam de eisdem bonis collectis B. Bonifacio in *Bosfenleve* construxit, in qua Canonicam pariter ordinavit vitam. Et quia eandem Ecclesiam condidit de rebus residuis in vase, quod *pixis* vocabatur, de collectis nuncupatur. Hic igitur *Branthogius* Episcopus juste & regulariter degens, semper & pro suo posse Ecclesiæ DEI proficiens, 14 suæ ordinationis anno, Regni autem *Conradi* 17, Imperii autem septimo, 6. Cal. Septemb. ab hoc seculo migravit ad Christum. Inter *Hildewardum* & *Arnolphum* Episcopos est sepultus.

Anno igitur 1066. serena lux Halberstadenſi Ecclesiæ illuxit. Tunc enim Dominus *Borgardus*, carnis progenie nobilis, sed religione utique nobilior, fidele electione Cleri & populi pastorem fortitus est dignitatem, & in natali Protomartyris Stephani à Domino *Bardone* Moguntinæ sedis Archiepiscopo in Heiligenstädt est consecratus. Hic igitur B. *Borgardus* ex altissimo Bavariæ Principum sanguine dedicavit: cujus mater veneranda, cum antea multiplici filiorum interitu esset orbata, & jam sæpe futuri hæredis pene esset desolata, in Spiritu humilitatis & in corde contrito ad adjutorium Altissimi, qui non derelinquit sperantes in se, confugiendum judicavit. Ad limina itaque Apostolorum Petri & Pauli Romam felici peregrinatione profecta, votum vovit Domino, ut si ei prolem masculini sexus per intercessionem B. V. & Apostoli Petri & Pauli divina daret Clementia, divino eum cultui servitutum tradere non dubitaret. Ad vota igitur ancillæ suæ fidelis Dominus ex alto respexit, & eaque domum reversa, parvo post id tempus elapso curriculo, cum summa suorum expectatione virilem stirpem edidit, qui secundum Principalem Magnificentiam per annos Infantiles diligenter enutritus, literarum studiis est traditus, quarum institutione brevi tempore, utpote doctore intus præſidente, apprime eruditus fuit. Itaque jam in se gratiæ dono præventus, annorum teneritudinem morum maturitate præbat, nec ut illa ætas assolet, voluptati aut lasciviæ animum intendebat, sed aut Ecclesiarum terebat limina, aut sacrorum Librorum lectioni solerter incumberebat, & quod litera rectum docuit, manû implevit. Tantæ denique benignitatis & compassionis igne fervebat, ut in sustentatione pauperum, in subventionem afflictorum Patrimonium suum, licet amplissimum, cœlestis fœnerator valde attenuaret. Crebrescente itaque per universum mundum præclara S. Viri opinione, Religionis hæc prudentiæ singularis merito, Regni Confiliator futurus, ad Curiam Imperialem evocatur. Tum vero in publicum deducto eo, accervatæ in eum gratiæ claruit plenitudo, qua spiritu consilii & pietatis, & primatum regni animos sibi conciliavit & regni gubernacula æquitatis & justitiæ indefessa suggestionem solidavit. Quodam tempore, dum apud Civitatem *Ratisbonam* degens Ecclesiarum limina pro more solito sollicitus frequentaret, hydropicum quendam ad januam monasterii cujusdam jacentem, & ab introeuntibus eleemosynæ alimoniam petentem reperit, cujus miseræ vir liberalissimus ex intimo corde compatiens, Eleemosynam porrexit, cauteque circumspiciens, cum neminem adesse cerneret, ægroti manum intima devotione exosculans abcessit. Divinæ illico virtutis subsecuta est gratia. Nam infirmo sanitas est reddita, eoque DEO gratias agente sanitatisque suæ auctorem prodente, beati viri sunt merita propalata. Hic quodam tempore in Saxoniam cum Imperatore profectus, cum in Palatio Imperiali in loco, qui dicitur *Werla*, concilium generale celebraretur, duo nobiles, conspiratione inimicorum suorum apud imperatorem fictæ in eum necis accusati, capitalem jussi sunt subire sententiam. Quo audito Vir Dei lacrymis profusus, invocato de cœlis auxilio, curiam audacter irrupit, eosque Danielis exemplo à falso crimine liberatos, secum lætabundus abduxit. Quæ res tanto favore tantaque gratulatione à Principibus & populo Saxonie excepta est, ut, licet antea parum fuisset cognitus, in Episcopum Halberstadenſis Civitatis, defuncto jam bonæ memoriæ *Branthogo*, ab omnibus certatim postularetur. Quorum petitioni Imperator grante annuit, eumque civitati Halberstadenſi, omnium votis in eum concordantibus, honorabiliter transmisit. Ecclesiastico itaque more inthronizatus, religionis divinæ indefessus extitit instaurator, orphanorum & viduarum consolator, justitiæ propugnator, & oratione continua pro populo & civitate sua, divinæ propitiationis non destitit esse suffragator. Et quoniam apud Imperatorem & principes regni summa gloria & honore enituit, Ecclesiam Halberstadenſem multis prædiis & possessionibus, suarum instinctu petitionum, reverendus Imperator ampliavit. Felix igitur & reverenda B. *Burchardi* mater, comperta filii sui tam veneranda sublimatione, gaudere quidem cœpit de honore: de civitatis vero *Halberſtat* nomine, quod vulgo Civitas dimidiata sonare videtur, sub tristi quadam indignatione titubare; indignum videlicet reputans tam generosi sanguinis virum dimidiæ civitatis, veluti per-

abjectionem creatum esse Episcopum. Post verò, parvo tempore evoluto, cum ad visitandam matrem vir Beatus, comitante nobilium ac ministerialium Ecclesie Halberstadenſis multa caterva repatriaſſet, mater ejus lætabunda occurrens, tantamque virorum insignium multitudinem admirans ait: Non est hæc civitas dimidia, cujus tam multiplex tamque splendida est familia.

Beatus igitur Burchardus multo tempore diem obitus ſui ante præſcire meruit, quem ipſe adhuc vivens per ſingulos annos ſumma reverentia & devotione, tanquam deſignationis ſuæ diem celebravit, & in futuras ſucceſſiones felici providentia celebrem reddidit. Ad Beatæ ſiquidem memoriæ ſuæ concelebrationem per ſingulas Eccleſias, quæ per Episcopatum Halberſtadenſem longe lateq; conſtructæ ſunt, dotis ipſius Eccleſiæ decimam ſacerdoti conceſſit, quatenus ad anniverſarii ſui memorandam celebrationem univerſaliter ac promptè convenirent, datisq; per ſingulos ſacerdotes cum ſumma benevolentia 2. denariis, cerei celebres ad ſepulchrum ipſius provideantur. Vigiliis quoque Miſſarum ſolemnitate & aliorum commendatione, ab omnibus Clericis totius Episcopatus devotè & fideliter expletis, inſtitutum eſt à viro charitatis pleno, ut charitativa ſubſequeretur reſpectio: prædiis & poſſeſſionibus ad has & pauperum expenſas, eodem ſcilicet die ſufficienter ſubminiſtratis. Hac ergo ut diximus die divinitus præſcitta, à ſe vivente ſæpius reverenter celebrata poſterisque ſuis provida inſtitutione designata, vir Beatus decurſo præſentis vitæ ſtadio carniſque onere depoſito, Sanctorum omnium junctus eſt conſortio: ad cujus ſepulchrum fidelis ſervi ſui merita Dominus, ſignorum ſuorum frequenti oſtentione, declarat. Nam præter revelationes multiplices, quæ ſervis ſuis & ancillis DEI per viſionem de hoc viro B. ſunt oſtenſa, pro merita hujus cæci viſum, claudigreſſum, contracti erectionem receperunt. Quacunq; denique afflictione oppreſſos, & ad hujus S. viri ſepulchrum & ſuffragia confugientes, per merita & interceſſiones *B. Burchardi* venerandi Antiftitis, multis experimentis edocti, credimus liberari.

Ad roborandam itaque fidem audientium, & conſtitenda viscera pietatis DEI, unum reſtat de eo jucundum conſiteri miraculum & omni admiratione dignum, quodque ad omnes laudes ejus amplectendas ſufficiat. Nam Dei providentia ordinante, cujus nutu decurrunt tempora & momenta, in hoc S. viro quatuor miracula uno die, licet invicem ſuccedentibus ſibi annis, ſunt oſtenſa. Nam 15. Cal. Nov. maternis effuſus ſinibus, trabea carniſ indutus, veteri Adam eſt informatus, ſed in novo reformatus: qui etiam hac die ſtudiis liberalibus appoſitus, in brevi ſcientiam literarum tam liberalium quam divinarum eſt aſſecutus; quam morum honeſtate & vitæ probitate omnibus declarans, providè etiam hac die regimen Cathedræ Halberſtadenſis adeptus, Pontificalibus infulis meruit ſublimeri. Ipſa etiam nihilominus die viam univerſæ carniſ intrans, carniſ tunicam depoſuit, Sanctorumque omnium junctus eſt conſortio. Nec eſt reticendum, quod inter plurima bonarum actionum ejus inſignia, curtem Episcopalem, in civitate inceptam, ſtructuris laudabilibus conſummavit. XXIV curtes in Episcopatu Halberſtadenſi in opus ſui & ſucceſſorum ſuorum prudenter extruxit: inter quas dum in Hiſeburg [*Huiſeburg*] pallatium & capellam conderet ſtudioſe, ipſe tanta ſedulitate dedit operam huic operi, quod etiam lapides, cœmentum & alia neceſſaria manu propria operariis porrigebat. Hujus rei cauſam dum familiares ſui inſquiſiviſſent, reſpondit: ſentio donum DEI. Nam locus ipſe in perpetuum ſanctæ religioni & divinis erit obſequiis mancipandus.

Ejus autem ordinationis anno 4. Conradus Imperator moritur anno regni ſui 16, imperii 9, 2. Non. Jun. filio ſuo Henrico III regnum relinquens: qui 7. regni ſui anno Italiam ingreſſus, a Romanis pacifice ſuſcipitur, & 3. Papas non dignè conſtitutos depoſuit, & ſanctum *Swidegerum* Pavenbergenſis Eccleſiæ XI Episcopum Papam conſtituit, à quo ipſe & conjux ejus Agneſa in die natalis Domini benedictione Imperiali ſublimentur. Eodem anno *Swidegerus* Papa obiit 7. Id. Oct. cui ſucceſſit *Poppo* Patriarcha Aquilegienſis; qui nec dum completo anno deſunctus eſt: cui ſucceſſit *Bruno* Tullenſium Episcopus, qui & Leo dictus eſt. Hic Bruno ſub *Baldvino* Scholaſtico in *Hersfeld*, poſtea in *Nienburg* in Saxonia Abbate, liberalibus diſciplinis imbutus erat. Anno Domini 1049. ſynodus *Moguntie* celebratur, cui interſuerunt *Bruno* Apoſtolicus & *Henricus* Imperator. Inde procedentes, Dominus Papa *Ratiſbonam* veniens, reliquias B. Dionyſii Martyris, de quibus diu dubitatum eſt, an ibi haberentur, præſentibus Pariſtorum legatis perſpexit, ibique teneri probavit. Idem Papa Bruno, qui & Leo, vitam finivit anno Domini 1053, & Romæ in Eccleſia S. Petri ſepultus, miraculis corruſcat: cui ſucceſſit *Gebehardus*, qui & *Victor* dictus, Eiſtetenſis Episcopus.

Henricus Imperator Italia in pace diſpoſita, in Saxoniam rediit; in cujus oculis *S. Burchardus* Episcopus dum multam gratiam & favorem inveniſſet, ad ejusdem petitionem Imperator Eccleſiæ B. Stephani dedit Comitiam in *Nordthuringen* & in Pago *Derlingen*, cum omni determinatione ſua & cum omni jure & utilitate, quæ inde poterit provenire, ut Episcopii Halberſtadenſes poteſtativè ſemper habeant, & cui velint, tradant: Hancque donationem ſuo privilegio communivit. Eadem etiam lege idem Imperator pro dilectione Domini *Burchardi* comitatus iſtos in pagis *Hardengowe*, *Derlengowe*, partimque *Nordthuringen* & *Belchiſheim* Halberſtadenſi Eccleſiæ in perpetuum dedit poſſidendos. Mortuus eſt autem & hic *Henri-*

cus Imperator III. anno regni sui 17, imperii vero 15. ordinationis Domini Burchardi Episcopi 21, 3. Non. Octob. pro quo filius suus *Henricus IV.* regnavit annis 50. Cum igitur Venerandus Dominus *Burchardus* Episcopus Ecclesie suae semper pro posse suo profecerit, & super commissum sibi gregem verbo & S. conversationis exemplo totis viribus vigilarit, anno ordinationis suae 23. regni autem quarti Henrici tertio, 15. Cal. Nov. non solum sub regimine suo degentibus sed & omni patriae flendus, à mortalibus ad immortalia sumtus, in Domino feliciter obdormivit. Corpus autem ejus in Ecclesia Halberstadenfi versus occidentem honore congruo est sepultum.

Anno igitur Domini 1060. Ind. 4. Regni vero 4ti Henrici regis 4to, *Burchardus* Secundus qui & *Buco* dictus est, non minus bonis exemplis quam doctrinis & exhortationibus semper pollens, Halberstadenfi Ecclesiae pastor unus est praefectus. Eodem anno *Gebehardus*, qui & *Viktor* Papa, finivit vitam, pro quo *Fridericus*, Godofridi Ducis frater, jam Monachus factus, Romanus Pontifex ordinatur, & *Stephanus* appellatur, cui 3tio anno defuncto *Alexander* Lucensis Episcopus successit. Hujus tempore *Hilibrandus*, qui ei successit, Archidiaconatus officio functus est Romae. Anno autem primo Praefulatus Domini Buconis *Henricus* Rex 4tus cum matre sua Imperatrice & sponsa sua *Bertha* & sororibus suis, & cum immensa multitudine Episcoporum, Abbatum & honorandorum Ecclesiasticae religionis Virorum, Ducum quoque & caeterorum regni Principum, solennitatem omnium solennitatum in Halberstadt veneratione debita celebravit. Eodem etiam anno, XIV. Cal. Maji feria 4. illius hebdomadae, qua cantatur Jubilate Domino, ultio divina acerba nimis correctione Halberstadensem Ecclesiam corripuit, & monasterium simul cum claustro combustionis judicio depavit. Invaluit quoque idem judicialis ignis adversus duas alias basilicas majori Ecclesiae annexas: unam Johannis & Pauli & alteram huic vicinam. Combusta est etiam fere dimidia pars villae versus septentrionem ab ortu usque ad occasum. Tam subita igitur divina examinatione primi sui Praefulatus anno secundus *Burchardus* graviter sauciatus, tam diri vulneris aegritudini medicinam apponere totis viribus festinavit. Tanto namque operi continuè insistenti, & quae necessaria, praeparando, sibimet parcere non cessavit, donec veterem aedificationem tactam divinitus in melius renovavit, picturis, campanis multisque egregiè Ecclesiae apsis tam intrinsecus quam extrinsecus famosè pompavit: ambonem quoque & summitatem chori auro & argento venustè & nobiliter decoravit. Anno igitur Domini 1071. indictione 9. post combustionem suam anno 12. Halberstadensem Ecclesiam gloriose perfectam Idibus Junii fer. 2. Pentecostes honorifice dedicavit. Profecuti autem sunt ipsum combenedictores 7. Episcopi in laudem regis Regum, pro mysterio septiformi S. Spiritus deputati: (*) in 1do *Adelbertus* Hammaburg Archiepiscopus, in 3tio *Richbertus* Fardinensis, (**) in 5to *Bruno* Asneburgensis, [Osnabrugensis] in 6to *Thietmarus* Brandeburgensis, in 7mo *Johannes* Birzensis Episcopus. Aderat etiam cum jucunditate, 4tus *Henricus* Rex indumentis regalibus insignitus. Comitabatur quoque Regem nobilis comitatus Episcoporum, Abbatum, cum extensa processione cleri innumeri: *Otto* quoque Dux Saxoniae, & plurimi Regni Principes, cum ingenti multitudine utriusque sexus, in laude Domini conclamantes. Affuit quoque dedicandae Dei aulae Serenissima Domina *Bertha* Regina cum praecara matertera sua *Irmengarde* Ducissa, & sorore Regis *Adelbeide*, *Quedlinburgensis* Ecclesiae Abbatisa. Omnes autem, qui aderant, dedicationis illius fideles facti sunt cooperatores, & quod visibili officio agebatur, ut invisibili completeretur effectu, suppliciter implorabant.

Hic autem Rex *Henricus* pro curte *Kisnebrücke*, quam Halberstadenfi Ecclesia possidebat, Abbatiam in *Driibecke* in pago *Hardengowe* sitam, pro eadem curte & appendiciis ejus tradidit eidem Halberstadenfi Ecclesiae, cum omnibus pertinentibus suis mancipiis, areis, aedificiis, villis, Ecclesiis, terris cultis & incultis, agris, pratis, pascuis, campis, sylvis, venationibus, aquis, aquarum decursibus, molis, molendinis, piscationibus, exitibus, redditibus, viis & inviis, quaesitis & inquirendis, & cum omni utilitate, quae inde provenire potest; eamque donationem suo privilegio stabilivit. Similiter quoque omnia & quasque concessiones antecessorum suorum Imperatorum, decimas, terras cultas & incultas, mercatus, monetas, telonia, Herebannum, duos Comitatus, quos pater suus *Henricus* 3, ut jam dictum est, Halberstadenfi Ecclesiae dedit, sua autoritate renovavit, & regio privilegio stabilivit. Idem etiam ob devotum famulatum Domini *Burchardi* Episcopi Halberstadenfi Ecclesiae liberaliter erogavit de vinetis in *Brunnyheim* villa dicta in pago *Gitgowe* sitis tantum, quantum ad X Karrados vini posset sufficere: Una cum vinitoribus, qui in illis laborare & colere debebant; bonis etiam, quae ipsi possidere videntur, Halberstadenfi Ecclesiae contulit habenda, possidenda et jugiter perfruenda.

Hujus etiam temporibus, regnante *Henrico* 4. & praesidente Romanae Ecclesiae Papa *Alexandro*, gravissima dissensio inter regnum & sacerdotium est exorta. Quod cum praesul jam dictus videret nimium Ecclesiae importare dispendium & jacturam, ipse pro universali Dei Ecclesia animam suam in manibus suis posuit, & tam fidelem quam idoneum inter Papam

Q 3

& Re-

(*) Videtur aliquid deesse.

(**) Deest, qui quarto loco processerit.

& Regem mediatorem se constituens, totis viribus laborando de voluntate partium, non cessavit facere suimet & suorum operam & impensam, donec ipse & Regnum & sacerdotium reformavit ad concordiam & pacis honorem. Unde in utraque curia tantam gratiam meruit & invenit, quod ipsum & Ecclesiam suam merito conabantur præferre spirituali gloria & honore. Unde quantâ prærogatione Dominus Papa *Alexander* illum & Ecclesiam suam privilegiare curavit, dignum duximus annotare.

ALEXANDER Episcopus, servo DEI dilectissimo in Christo, [Burchardo] Halberstadenſi Episcopo, in Domino salutem & Apostolicam benedictionem. Inter multa, quæ Magister & Doctor gentium, Minister quidem Christi & secundum Dei gratiæ donum, Dispensator mysteriorum ejus, discretè & spiritualiter instituit, quosdam in Ecclesia S. non ut hospites & advenas, sed ut Cives & cohæredes & concorporales in habitaculum Dei coadificatos, in area quoque dominica comparticipes & cooperatores, singulari munificentia excellenter donari præmonuit. Dum tempus, inquit, habemus, bonum operemur ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei. Unde etiam, mi dilectissime fili *Burcharde*, venerande Cœpiscope fidei tuæ, quæ per charitatem operatur, & justitiæ tuæ, quæ ex fide est, plurimum congratulamur. Temporibus autem istis, in quibus venit ira Dei in filios diffidentiae, de quibus verè possumus cum Apostolo dicere: Videte canes, malos operarios, concisionem: opus ministerii tui, & ædificationem corpus [corporis] Christi, ad honorem Apostolorum Petri & Pauli, ad voluntatem & jussionem dilectissimi nostri filii *Henrici IV.* Regis, scilicet ut Ecclesiasticæ pacis inquietudinem Regius Advocatus propulsares, cum omni gaudio suscepisti. Itaque post susceptum legationis obsequium, semper unanimis uno spiritu & sincera affectione pro nobis ac Romana Ecclesia nobiscum sollicitus fuisti: non tamen quærens, quæ tua, quantum quæ sunt Jesu Christi. Pro tanto igitur Deo ejusque S. Apostolis à te collato servitio, inprimis ipsi gratias laudesque debitas referimus, qui dilectissimo filio nostro, prænominato Regi, tam sanctum opus tibi injungere, tibi que suscipere inspiravit. Deinde quia sancta Romana Ecclesia, quæ bene fundata est super firmam petram, hoc semper habuit veræ charitatis judicium, ut aut nunquam aut raro ab aliquo gratis habere vellet beneficium: competit nostro Apostolico moderamini aliquod honestum aut singulare donativum pro nostro jure tibi tuæque Ecclesiæ privilegiorum auctoritate concedi. Itaque & locum & nomen *fili spiritualis* singulari ac familiari affectu tibi concedimus; sanctæ quoque Halberstadenſi Ecclesiæ tuæ, ut sit *filia* Romanæ Ecclesiæ, prærogativam quandam attribuimus. Insuper quoque pio paternoque affectu pallio te adornare decrevimus, salva tamen auctoritate aut Magisterio Sanctæ Metropolis Moguntinæ Ecclesiæ, salvo quoque fratrum tuorum Cœpiscoporum & ordine & loco. Sed tuum est, ut sicut nos forinsecus, ita te ipse adornes intrinsicus, ut docendo & faciendo, quæcunque sunt justa, quæcunque honesta, ante & retro esse possis conspicuus. Pallium in determinatis diebus, ad sacra Missarum solennia celebranda tibi concedimus: in natali Domini, in Festo S. Stephani Protomartyris & S. Iohannis Evangelistæ, in Epiphania Domini, in Purificatione & Assumptione & nativitate S. Mariæ, in Cœna Domini, in S. Sabbatho, in die resurrectionis, in ascensione Domini, in pentecostes Festo, in Festo S. Iohannis Baptistæ, in Festo Iohannis & Pauli, in Inventione corporis S. Stephani, in Festo S. Sixti & S. Michaelis, & omnium Sanctorum, in nativitate Apostolorum Petri & Pauli & Andreæ, in dedicatione Ecclesiarum, in faciendis ordinibus. Crucem etiam ante te & ante successores tuos portandi licentiam donamus. In Stationibus quoque festivis super *Naccum*, [id est Equum, solenniter ornatum: videatur simile diploma Colonienſi Ecclesiæ datum] equitandum permittimus tibi & successoribus tuis. Insuper mitras tibi & successoribus tuis ac Canonicis excellentioribus, scilicet Presbyteris & Diaconis, inter missarum solennia ministraturis, subdiaconis in majori Ecclesia tua & supra scriptis festivitibus portandas concedimus. Et omnia, quæ privilegiorum auctoritate tibi & tuæ Ecclesiæ à prædecessoribus nostris, videlicet summis pontificibus, insuper etiam sive Regum sive Imperatorum confirmationibus seu quarumlibet personarum donationibus juste collata sunt, nostro quoque autoritatis privilegio confirmamus. Præterea quoque statuimus coram DEO ac terribili ejus examine futuro, & per hujus nostri privilegii & Apostolici [præcepti] seriem ac constitutionem sancimus, ac B. Dei genetricis semperque Virginis Mariæ, nec non B. B. Apostolorum Petri & Pauli, Sanctorum etiam Martyrum Stephani ac Xisti [Sixti] cæterorumque omnium Sanctorum autoritate, in quorum nomine prænominata tua Ecclesia dedicata est, decernimus, atque obtestamur tam Apostolicæ sedis futuros pontifices, quam qui ecclesiasticas administraverint actiones, cunctosque Christianorum titulo insignitos, ut nullus hanc licentiam [sibi sumat] de his omnibus, quæ eidem Ecclesiæ à prædecessoribus nostris per privilegia juste concessa, vel à nobis data vel danda, aut ab aliquibus fidelibus viris ac mulieribus præfatæ Ecclesiæ tradita sunt, vel futuris temporibus contradentur, tam in Abbatibus quam in Monasteriis ac Xenodochiis, tam in familiis quam in terris & comitatibus seu aliquibus possessionibus, convellendi, disvestiendi, molestandi vel alienandi.

Anno

Anno IX Henrici Regis *Wilhelmus* quidam Normannicus, Angliam miserabiliter affligens, tandem Rex ejus effectus est, qui mox Regni ejus præfules exilio, nobiles vero morti destinavit: mediocres autem suis militibus in servitutum, uxores indigenarum advenis in matrimonium, subjugavit. Anno autem ejusdem Regis Henrici ipse Rex, adolescentiæ usus libertate, Saxoniam solam ex omni Romano Imperio cœpit incolere, Principes despiceret, nobiles occidere, inferiores sustollere; venatui, lufibus cæterisque hujusmodi exercitiis plus, quam justitiis faciendis, operam dare, filias illustrium quibuslibet obscure natis conjugare, privata præfidia instituere. His discordiæ seminariis contigit, Regi quamplurimos insidiatores tam vitæ quam Regni sui crescere. Defuncto igitur beatæ memoriæ Alexandro Papa *Hildebrandus* ei successit, qui & postea *Gregorius* dictus est. Iste ex humili genere natus, in Francia artes liberales didicit: deinde in Hispania apud Toletum arte Nigromantica est imbutus: post hæc Teutoniæ & multarum terrarum perlustrans spatia, apud Teutonicos ex nominis sui Etymologia *Hildebrandus*, quasi titio infernalis est vocatus: qui tandem Romam veniens, habitum monasticum assumpsit, & librum quendam de virtutibus satis bonum componens, ipsum jam dicto Papæ exhibuit Alexandro; qui Petri nomen ipsi imponens, Archidiaconatum Romanæ Ecclesiæ eidem concessit. Arte itaque sua Romanorum concilians animos, defuncto Papa Alexandro morte repentina, & ut dicunt ab eodem Hildebrando veneno sibi dato, ipse Hildebrandus continuo à Romanis in summum Pontificem est electus. Qui statim Regi *Henrico* se opponens, per crebros nuncios, & Episcopos & totum Imperium contra Imperatorem commovit. De suo itaque consilio cum Saxones, ut sunt animis acerrimi, præcipue conjurationem adversus eum unanimiter conspirando firmassent, Rex territus Saxonia excessit. Saxones vero castella, quæ Rex dudum ædicaverat, funditus evertunt, inter quæ præcipuum illud castrum, quod *Hartzburg* dicitur, diruunt, monasterium & claustrum Canoniorum, quod ibi erat, multa furentes audacia, solo tenus dejiciunt, & innocentis cæjusdam filii regis ibidem sepulti ossa, in contumeliam patris abjiciunt.

Eodem anno colloquium maximum apud *Oppenheim* factum est, ubi pene totius regni Principes, sed maxime Saxonum & Alemannorum Regis subjectioni renuntiabant, hoc prætententes, quod ipse à duobus Apostolicis ad satisfactionem pro objectis vocatus, non venisset, & pro tali contumacia Dominus Papa excommunicationis sententiam contra eum tulisset. Hac igitur occasione ire Romam Rex coactus est, inventoque Papa in oppido *Canusino*, ibi per triduum ante portam Castri perstitit, deposito omni regio cultu, discalceatus, & laneis indutus; nec prius cum multo fletu Apostolicæ miserationis [gratiam] & consolationem implorare cessavit, quam omnium, qui aderant precibus & lacrimis intercedentibus, laxato tandem Anathematis vinculo, in communionis gratiam & sinum matris Ecclesiæ est receptus.

Ipsa igitur in Italia moram faciente, Saxones, communicato quorundam principum consilio, *Rudolphum* Ducem Svevorum eligebant in Regem, qui & à Domino *Sigfrido*, Moguntinæ sedis Archiepiscopo unctus est & coronatus. *Henricus* igitur Rex ab Italia rediens anno Domini 1075, indict. 14, anno *Burgardi* secundi 16, Regni sui 19. ætatis vero 25. Id. Julii, congregatis scilicet Bavaris, Svevis, Francis, Lotharingis, Bohemis & multis aliis nationibus, crudelissima præliabatur prælia contra Saxones & æmulos suos, & contra Regem ipsorum *Rudolphum*, primo in campis *Heimbürg* circumjacentibus juxta fluvium, qui dicitur *Unstrucht*, secundo in campis *MantelRukestadt*, adjacentibus juxta fluvium, qui dicitur *Strowe*, tertio in Thuringia, ubi miro DEI miraculo sunt adjuti. Nam vis cœlestis imbrium & ventorum tanta obscuritate Nubium aëra perturbavit, ut cujus coloris cominus pugnantium essent equi, nequaquam posset discerni. Tali igitur discrimine Saxones cœlitus potiti victoria, perterriti autem hostes & in fugam conversi, cruentam passi sunt cladem. In his autem conflictibus non modica interiit multitudo tam principum quam ingenuorum liberorum, & genus omnis plebis Dominica. *Weselus* etiam Magdeburgensis Archiepiscopus in eodem prælio est peremptus: Dominus *Sigfridus* Moguntinæ sedis Archiepiscopus, *Adelbertus* Wormatiensis, *Alemannus* Pataviensis, *Wernerus* Mersburgensis, Episcopus, *Bernhardus* Cardinalis & alii quam plures clerici, omnibus, quæ habebant spoliati, pugnis, baculis & fustibus variis, armisque mulctati, satis indigne sunt tractati.

Cum igitur *Hildebrando* Papa Autore Romana Respublica primo, & omnis Ecclesia hujusmodi - - - & inauditis schismatum erroribus nimium defatigata fuisset, habitum est concilium apud *Wormatiam*, ubi præfente *Henrico* Rege universi fere Teutonici Episcopi præter Saxones, *Hildebrandum* Papam abdicarunt, mittentes ad illum Epistolam post multas objectiones ita conclusam: Quia introitus tantis est injuriis vitiat, & Ecclesia Dei tam gravi tempestate perabusione novitatum tuarum periclitatur, & vitam conversationemque tuam tam multiplex infamia dehonestavit: obedientiam quoque tibi nullam permisimus, nec de cætero ullam servaturos esse denunciamus: & quod nemo nostrum, ut tu publicè declamabas, tibi hæctenus fuit Episcopus, tu quoque nulli nostrum à modo eris Apostolicus. Post modum & apud *Briaticum* Noricum 30. Episcoporum conventus, primorum & optimatum tam Italiæ quam Germaniæ, jussu Regis *Henrici* est congregatus: tantus quoque omnium

Con-

consensus adversus Hildebrandum Papam cognominatum Gregorium VII; quem pseudo-monachum, totiusque vesaniæ pestiferum Principem, & præcipue S. Romanæ sedis in vasorem affirmantes, ab Apostolica sede dijudicabant deiciendum, & *Wibertum* Ravennatensem Archiepiscopum Papæ subrogantes, unanimiter elegerunt. De Hildebrando vero taliter conscripserunt: Quia illum constat non à Deo electum, sed à seipso in fraude & pecunia impudentissime objectum; qui ecclesiasticum subvertit ordinem, qui Christiani Imperii perturbavit Regnum, qui Regi Catholico ac pacifico corporis & animæ intentat mortem, qui perjurum defendit Regem, qui inter concordēs seminavit discordiam, inter pacificos lites, inter fratres scandala, inter conjuges divortia, & quicquid quietè inter viventes constare videbatur, concussit; Nos auctore Deo congregati, Legatis ac literis freti 19. Episcoporum, die sancto præteriti pentecostes Moguntia congregatorum, contra eundem Hildebrandum, procacissimum, sacrilegia ac incendia prædicantem, perjurium & homicidia defendentem, Catholicam & Apostolicam fidem de Corpore & sanguine Domini in quæstione ponentem, Berengarii Hæretici antiquum discipulum divinationum ac somniorum cultorem, manifestum Nigromanticum, Pythonico spiritu laborantem, & ideo à vera fide exorbitantem; judicamus canonicè deponendum & expellendum, & nisi ab ipsa his auditis descenderit, in perpetuum condemnandum. Pro hac igitur contumelia Papa, per Regem sibi exhibita, ipse eum Synodali iudicio excommunicatum, à Regno etiam somniavit deponendum.

His ita gestis inter *Henricum* Regem & *Rudolphum* rursus geritur bellum in Saxonia juxta fluvium *Helbestrom*, in quo idem Rudolphus cecidit, amputata sibi manu dextra. Sed à suis in civitatem *Mersburg*, nimis zelatus & in brevi defunctus, in medio Chori ibidem honorifice est sepultus. Quo defuncto *Heremannus* quidam vir præpotens & nobilis, Gesniæ Rex à Saxonibus est electus. Qui videns Henrico Regi se resistere non posse, permissione ejusdem Regis tandem in propria est reversus. Henricus itaque Rex Italiam petit, Romamque veniens, resistentem sibi cum Hildebrando Papa civitatem obsedit, & crebris incursibus per biennium Romanos infestans, tandem versus Castellum S. Petri cepit urbem. Romani igitur coacti, manus Regi dederunt & *Hildebrandum* Papam omnino abdicaverunt. Qui occulte fugiens *Salernum* secescit, ibique ad diem mortis suæ permanfit. *Henricus* igitur Rex, Romanis petentibus, ut *Wickbertum* Ravennatem Episcopum eis Papam præficeret, multis stipatus cum magna gloria Romam intravit, ducens secum prædictum Episcopum, qui per multos Pontifices Apostolico nomini dicatus, nomenque *Clementis* accipiens, reverenter est inthronisatus. A quo etiam Rex cum Regina Berta, in S. die Paschæ imperiali benedictione est sublimatus. Imperator itaque ab Italia rediens, *Moguntia* synodum celebrari fecit, & de consilio omnium & consensu, pacem Ecclesiæ reddidit & firmavit; qui etiam à Saxonibus pacifice est receptus. *Hildebrandus* igitur, qui & Gregorius Papa VII apud *Salernum* moritur, & ibidem in ecclesia sepelitur. Prosecuta vero fuerat eum fugientem potentissima illa per Italiam femina Domina Magatillis [Mathildis] Imperatoris Henrici neptis, quæ cum copulata fuisset *Conrado* [Godefrido] cuidam Italiæ Principi sed gibboso, ipsa enixa fuit ab ipso gemellos imagine patris gibbosos. Super quo ipsa nimia tacta verècundia, utrumque fecit necari, sed tandem ducta pœnitentia, ad Hildebrandum Papam veniens, reatum suum humiliter est confessâ: qui cum nullam vel modicam eidem super eo injunxisset pœnitentiam, ipsa ob hoc obsequiosa ei nimium ac familiaris esse cœpit; ita etiam, quod patrimonium suum, quod ipsa latissimum habuit, in præjudicium Imperatoris, qui legitimus ejus erat hæres, ad instantiam Hildebrandi S. Petro donaret. Ipsa quoque cum in vestibulo quodam annexo Papali Pallatio, cum eodem Papa, quodam tempore confedisset, & casu ipsum vestibulum corruisset, ipsa cum Papa visa est ab aère sustentari, quousque scalis appositis sine omni læsione cum Papa simul deposita est ad terram. Præterea, cum in arduis negotiis magni viri cum eadem confabularentur, ab ejus ore sæpe visus est ignis flammivomus evolare. Unde prædicta femina tanta se affectione ipsi astrinxerat, quod etiam ipsa eum fugientem secuta, officiosâ sedulitate usque ad finem vitæ suæ ei fideliter ministravit. Ipso igitur, ut dictum est, defuncto, ad consilium ejusdem Domine *Mathildis* & aliorum, qui præsentēs erant, substitutus est in Papam *Desiderius* Cardinalis & Abbas Casinensis, qui & modico tempore vixit, post quem per eosdem Electores & ordinatorēs *Otto* Ostiensis Episcopus ad eundem Apostolatus apicem est electus.

Anno autem Domini 1100. *Wibertus* Ravennatensis Archiepiscopus, qui Hildebrando suppositus *Clemens* Papa dictus fuit, cum tres Papas alternatim sibi succedentes supervixisset, mortuus est. Procellosa vero tumultuatione, ut dictum est, Imperium undique laniante, Halberstadenſis Ecclesia hujus mali experta non fuit. Nam Saxonibus à fidelitate Henrici Regis discedentibus, quia Dominus *Burchardus* Halberstadenſis Episcopus reatum perjurii incurrere noluit, sed in Regis fidelitate perseveravit, à sede sua ejectus fuit, quodam *Hemzone* sibi supposito; unde Ecclesia non modicum sustinuit dispendium & jacturam. Sedata tandem hac execrabili tempestate, Dominus *Burchardus* ab exilio rediens, suæ est ecclesiæ restitutus, & Ecclesiâ monente *Hemzo* descendit de sede, quam injustè ac temerè occupa-

cupa-

cuparat. Burchardus igitur, in quantum potuit, diruta refarcivit, & in statum debitum Ecclesiam revocavit. Cum autem in exterioribus temporalia reformando satis se impenderet, interiorius tamen virtutibus spiritualibus insistendo minime se neglexit. Ipse enim in elemosynis largus, in mansuetudine modestus, in charitate perfectus; corde & opere fervendo in hoc semper studuit, quod ratio & justitia postulavit. Fundator quoque Basilicæ S. Liuderi eam copiose ditavit, ut inde fieret hospitale, in quo quotidie XII. pauperes interim reficerentur; & ceteris necessariis diligenter provisus, in alia Basilica S. Alexii, quam etiam construxerat, divinum eis officium instituit jugiter providendum. *Hufesburgense* monasterium secundum Prophetiam S. Burchardi antecessoris sui Episcopi à fundamentis construxit, & decenter locupletavit: *Ilseburgense* etiam monasterium, quod ipse ut fidelis Architectus prudenter extruxit & devotus incoluit, uberrime in omnibus dotavit & pro posse ditavit. Denique ut mercedem pro talento tandem reciperet gemmata in Civitate, Halberstadensem in honorem S. Pauli Apostoli satis honestam fundaverat Ecclesiam, Canonicorum vitam ordinans in eadem, & si morte non fuisset præventus, ejusdem Ecclesiæ statum promovere proposuerat in immensum.

Cumque super Dominicum gregem sibi commissum paterna sollicitudine vigilasset, Romanæ Ecclesiæ negotium tractaturus, *Goslariam* venit: ubi inter Civés & familiam suam seditione orta ipse tumultuationis causam volens scire, cum aperta fenestra prospiceret per Cancellos, quidam ex Civibus casu sagittam dirigens innocentis Episcopi collum transverberavit. Unde & mortuus est anno ordinationis suæ 28, 3. Id. Aprilis. Corpus autem ejus *Ilseburg* est deductum, & in Ecclesia, quam ipse summo studio fabricaverat, honorifice est sepultum.

Anno igitur Domini 1088. tam pio Præsule tam crudeliter sublato a medio, Halberstadenfis Ecclesia Dominum THITMARUM cognomine *Parvum*, ordine Diaconum, Virum bonum & justum, Canonica Electione elegit in Episcopum, qui mundissimus precibus obtinuit apud Deum, ut si suæ non foret Ecclesiæ profuturus, vitam suam intercipi mereretur. Unde occulto Dei judicio fuit exauditus. Nam ab Electione sua die 16. ab hoc seculo est ereptus: dicunt tamen quidam, quod veneno sibi dato vitam finivit. Mortuus est 4. Id. Febr. cujus corpus in Ecclesia B. M. V. infra urbem honorifice est humatum. De morte igitur hujus electi tam inopinata tamque repentina Halberstadenfis Ecclesia non modico mœnore percussa, dum consolatorem quæreret salutarem, & idoneum conaretur eligere provisorem, peccatis exigentibus geminata est mœnoris vehementia & doloris. Nam inter Electores pernitiola dissensio est exorta, Ecclesia in 3 partes divisa, quarum qualibet suum elegit Episcopum. Una parte quendam *Thitmarum* & alia parte quendam *Fridericum* eligentibus, à faniori parte Dominus HERRANDUS *Ilseburgensis Abbas*, vir religiosus & pacificus, annuente Domino est electus, cujus & religionem pars adversa qualibet injuria sauciavit. Hunc etiam regnante Henrico IV. Dominus Papa *Urbanus 2.* rite Halberstadenfis Ecclesiæ in Episcopum consecravit. Ut quoque ex caritatis affectu, exemplo sui patroni Protomartyris Stephani pro suis æmulis exoraret Dominum, Papa nomen STEPHANI ei imponens, data Episcopali benedictione, suæ Ecclesiæ ipsum misit cum gloria & honore. Supra positi verò ne ulterius matrem suam Halberstadensem Ecclesiam cæca ambitione vexarent, talem finem disponente Domino sunt fortiti. Domino enim Herando revertente, uti dictum est à Domino Papa, *Ditmarus* occulto Dei judicio casu à gradu quodam corruens, confrauto corpore expiravit. *Fridericus* verò à Domino Papa Urbano 2. depositus, ut peccata sua lueret, ad sepulchrum Domini proficiscens transfretavit, indeque tandem reversus Halberstadium, vitam finivit. Saucia tamen adhuc prævalens æmulum multitudinem in Dominum Herrandum tantam executionem exercuit, quod sprete ipsius vita & doctrina, ipsum à se prorsus amovit. Cumque in hac miseria & in tali contemtu igne tribulationis exustus, aliquos annos irreprehensibiliter deguisset, post multas angustias vera Christi hostia factus, 10. Cal. Novemb. hanc vitam temporalem pro æterna feliciter commutavit. Corpus autem ipsius in Monasterio *Reinvereshornensi*, in quo ipse monasticam duxerat vitam, in Domino quiescit.

Hujus temporibus quidam Marchio *Ebertus* nomine, Imperatoris Henrici consanguineus, in Saxonia eidem Imperatori rebellis fuit: Unde à quibusdam Imperatoris fidelibus in quodam molendino gratia pausandi juxta aquam, quæ dicitur *Gelicha*, deprehensus, turpiter est occisus. Anno Domini 1089 bellum committitur juxta *Gelichen* in Thuringia, in die Dominica, vigilia Natalis Domini, inter *Henricum* Imperatorem & *Ebertum* Marchionem, in quo *Burchardus* Episcopus *Lofannæ*, *Sigewinus* *Colonienfis*, *Otto* *Ratisbonenfis* Episcopi occisi sunt.

Anno Domini 1098. præsidente hoc Domino Papa Urbano ortus est ordo *Cisterciensis*, cujus primus auctor fuit *B. Robertus* *Molifinenfis* Abbas, propagator vero *B. Bernhardus* Abbas *Clarevallensis*, Ecclesiæ Dei doctor incomparabilis. Anno Domini 1099. Henricus Imperator filium suum juniorem *Henricum V.* Regem fecit. Eodem anno ex omnibus terris sed maxime ab occidentalibus partibus, tam Regum & nobilium quam Vulgi innumerabiles turbe *Jerosolymam* tendere cœperunt, excitati in zelum super oppressione Domini sepulcri ac de-

solatione orientalis Ecclesie, per aliquot annos Turcis subiecte, & ab iis inauditis calamitatibus tribulata & fere jam deleta. Cui Dominus *Urbanus* Papa, ut pius pater compatiens, cum tota Romana Ecclesia in Hispaniam veniens, & exinde Parisios, necessitatem terrae sanctae lacrimabiliter exponens, ad succursum ejus circiter centum millia bellatorum cruce signavit. Orientalibus autem Francis, Saxonibus, Thuringis, Bavaris & Alemannis bucina salutaris minime insonuit propter schisma, quod inter regnum & sacerdotium tunc fuit, quod & ipsos Romanis, & Romanos ipsis invisos fecerat & infestos. Profecti sunt autem ad succursum terrae sanctae Dominus *Gothofredus* Dux Lotharingae cum fratribus suis, omnibus suis, quae habuerant, venditis, in pretium redactis, & copiose militibus erogatis; cum multis Principibus ceterisque ejusdem industriae, nobilitatis atque fortitudinis bellatoribus; qui omnes per Hungariam & Romaniam Constantinopolin venientes, *Alexii* Imperatoris Graecorum fulti praesidiis, tandem emensa Graecia, *Antiochiam* obsederunt, eaque capta & praesidio in ipsa posito, Hierosolimam processerunt, & divina opitulante gratia ipsam capientes, praedictum *Gothofridum* Ducem, Regem constituunt.

In eodem anno Dominus *Urbanus* Papa obiit: hic super commotione ecclesiae consilia multa congregavit, inter quae & ad *Placentiam* Civitatem ducentis Patribus convocatis, post multa decreta ab ipso promulgata, *Henricum* Imperatorem, tam a se quam a praedecessoribus communionem privatam declaravit. Ipse autem moriens *Reinerum* Cardinalem de *S. Clemente* designavit in regimen apostolicum eligendum, quem universa Romana Ecclesia, licet invitum, consecrat in Pastorem, ipsum appellans *Pascalem*: cui *Henricus* Imperator alterum opponere Papam satis conatus est, sed non perfecit. Papa vero magnam synodum celebravit Romae, *Henricum*q; Imperatorem cum suis complicibus anathemate condemnavit.

Anno Domini 1105, *Henricus V.* Rex patri suo rebellavit, & ad Saxones conversus, ab eis honorifice est susceptus. Ipse vero haeresi patris sui abrenunciando, & Romanae sedi debitam obedientiam profitendo, totam Saxoniam in Romanae Ecclesiae communionem reconciliavit, multa praemia cum patre suo committens, quae [inferere] huic compendio longum esset. Tandem adhuc compulsus est Imperator *Henricus*, quod ipse regalia insignia, crucem, lanceam, sceptrum, globum atque coronam, filii tradidit potestati.

Hoc ordine *Henricus* illius nominis V, primum a patre, deinde ab universis Germaniae principibus in regem jam antea electus; ab Apostolicis quoque legatis, per manus impositionem catholicè confirmatus, regnare cepit. Interim *Wernerus* quidam, qui ex parte *Henrici* Imperatoris Italiam procurabat, collectis undique copiis, corruptis quoque multa pecunia nonnullis Romanis, Papa *Paschale* apud Beneventum moram faciente, quendam Abbatem de *Pharfarra* Cathedrae *S. Petri* imposuit, mutato vocabulo ipsum *Silvestrem* appellans. Qui tandem paulo post turpiter, prout meruit, a Catholicis est ejectus. Post haec Imperator *Henricus* auxilio quorundam Principum denuo contra filium se erexit: Unde, cum diu inter eos certatum fuisset, tandem *Henricus* Imperator diem clausit extremum. Quem, cum *Leodicensis* Episcopus excommunicatum in sua Ecclesia tumulasset, a principibus effodere ipsum est coactus; & jussu Regis *Henrici* in *Spiream* Civitatem delatus, extra Ecclesiam per quinquennium ibidem inhumatus permansit. Hoc igitur *Henrico* Imperatore 50. regni sui anno defuncto, quinquagesimus exactionis annus ecclesiae Dei versus est in jubileum.

Post haec habitum est concilium grave in *Longobardia* super ripam *Padi* fluminis, loco, qui *Warstallis* [Wastallis] nuncupatur, ubi praesidente Domino *Paschali* Papa multa de statu Ecclesiae & reformatione ejusdem utiliter sunt tractata. Eodem anno *Magnus* Dux Saxoniae obiit, pro quo *Lotharius* surrexit. Anno Domini 1110. Rex *Henricus V.* Romam profiscitur, benedictionem imperialem a summo Pontifice percepturus.

Anno gratiae Domini 1107. Indiictione 15, sedata persecutionis Ecclesiae execrabili tempestate, Ecclesiam *Halberstadensem* Dominus visitavit illustratione jucunda, cum Dominus *REINHARDUS* in justitia strenuus, Religionis amore praecipuus, *Halberstaden* Ecclesiae ad salutem multorum [Pastor] est electus. Anno autem *Henrici V.* Regis undecimo a Domino *Adelberto* secundae sedis Archiepiscopo benedictionem Episcopalem honore debito est adeptus, & quò magis praecleara ejus opera a multis sunt fidelibus approbata, eò justius sunt vivaci memoria commendanda. Ipse enim in Saxonia primus auctor fuit communis vitae secundum Regulam *B. Augustini* instituta. Quatuor ergo Canonicorum regularium instituit congregationes, duas vero in *Hamerleben* & in *Kattenborn* [an *Kaltenborn*] a fundamentis instituit & pro posse eas ditavit. In Civitate vero Ecclesiae *B. Johannis Baptistae* Canonicis non canonicè viventibus, & in *Scheninge* Sanctimonialibus non sanctè viventibus cum discretionem remotis, Canonicos regulares ordinavit. In quatuor etiam *Collegiis*, *Geberstet*, *Hadmersleve*, *Trubecke*, *Stuterlingeburg* Sanctimonialium inordinate viventium & ordinem & habitum commutavit eisque sub certa custodia reclusis, ut sub regula *B. Benedicti* viverent, sagaciter ordinavit.

Hujus tempore, sacrae Romanae Ecclesiae praesidente Domino Papa *Paschali II.* *Henricus V.* Rex cum exercitu valido Romam venit, cui occurrerunt apostolici Legati nunciantes, promptum esse Papam ad ejus consecrationem, si tamen ipse sibi annueret libertatem Ecclesiarum,

rum,

rum, Laicam ab ipsis prohibens investituram; reciperetque [redderetque] nihilominus Ecclesia ducatus, Marchias, Comitatus, Advocatias, Monetas, Telonia, ceteraque Regalia. Præbuit Rex assensum, si tamen hæc concordia Ecclesie & Principum fiat consensu. Cum itaque Rex, Apostolico cum omni Clero sibi in occursum veniente, cum multa gloria intrasset, tumultuati sunt Principes immensum pro Ecclesiarum spoliatione. Romanis quoque ipsum hostiliter invadentibus, ipse Rex impigri & optimi ducis agens officium, gratia Dei victor existens, hostibus post multam stragem fugam incussit. Post triduum verò Roma secedens, apostolicum secum duxit, sedatisque omnibus inter regnum & sacerdotium dissensionibus, Papa ipsum ante confessionem S. Petri imperiali Diademate coronavit, dato sibi pariter privilegio Ecclesiasticæ investituræ. Imperator ergo cum multa gloria rediens ab Italia; accepta à Domino Papa licentia, patrem suum apud Spiream Ecclesiastica sepultura in Ecclesia magnifice sepelivit. Ipso autem à Roma discedente, Apostolicus multas ab Ecclesiasticis passus est injurias, objicientibus ei, quod contra instituta totius Ecclesiasticæ disciplinæ regem *Henricum Tyrannicum*, Reipublicæ vastatorem & Ecclesie destructorem imperiali benedictione sublimasset; insuper privilegio sacrilego condonasset, quia in eo privilegio continetur, quod electus canonicè à nemine consecratur, nisi prius à Rege investatur: quod est contra Spiritum S. & canonicam institutionem. Unde ipsum non privilegium, sed potius pravilegium sit dicendum, quod pro liberatione captivorum Ecclesie à Domino Papa per violentiam Regis Henrici sic fuit extortum. Unde & in generali concilio apud Lateranum censura canonica & iudicio SS. Patrum fuit damnatum & [invalidum] iudicatum. Ex hac occasione quidem Imperatoris æmuli sicut excommunicatum eum conati sunt infamare. Unde & seges dissensionis & invidiæ circum quaque contra ipsum cœpit pullulare.

Moritur hisce temporibus quidam de Saxonie Principibus nomine *Oldericus*, cujus possessiones *Sigefridus* Palatinus Comes sibi successionem hæreditaria vendicabat: sed Imperator eas in jus regni extrahere conabatur. Quæ causa cœpit recidivæ discordiæ fomitem ministrare. Nam idem Comes totam pene Saxoniam tantis implevit querimoniis, ut Ducem *Lotarium*, Marchionem *Rudolphum*, *Fridericum* Palatinum Comitem, *Wihbertum* & *Ludovicum* multosque alios traheret ab obsequio Imperatoris. Sed & Dominus *Reinhardus* Halberstadenfis Episcopus, nec non *Domina Gertrudis*, illa præpotens per Saxoniam vidua, prædiorum suorum invasione se ab Imperatore pati violentiam proclamabant. Præbuit etiam maximum æmulis Imperatoris eidem adversandi stimulum. Concilium, quod eodem anno apud Lateranum celebratum fuit: in quo *Prænestinus* Episcopus, qui vice legati functus fuerat, proposuit manifeste, quod, cum ipse in coronatione Imperatoris intellexerit, ab eodem Imperatore Dominum Papam captivum detentum, indigne tractatum, Cardinales exutos & male tractatos, nobiles quoque Romanos occisos & captivos, & populi stragem factam: ipso zelo Dei animatus, auctoritate legationis in eundem Regem excommunicationis sententiam promulgavit. Unde Dominus Papa ejus factum visus est in concilio confirmasse. Veruntamen Dominus Papa per Nuntios Imperatoris, qui præsentem erant, prædictam excommunicationis sententiam palliare cupiens, ita dixit: Ecclesia primitiva Martyrii tempore floruit apud Deum & non apud homines: Deinde ad fidem conversi sunt Reges, Imperatores, Romani Principes, qui matrem suam Ecclesiam sicut boni filii honestarunt; conferendo Ecclesie Dei prædia & allodia, seculares honores & dignitates, Regaliaque jura & insignia, quemadmodum *Constantinus* ceterique fideles: & cœpit Ecclesia florere, tam apud homines quam apud Deum. Habeat ergo mater & Domina nostra Ecclesia sive à Regibus sive à Principibus sibi collata, dispenset & tribuat suis filiis sicut vult & sicut scit. Cum autem privilegium investituræ ecclesiasticarum rerum à Laica manu Imperatori ab eo datum, omnes ei objicerent, ita respondit: Postquam Dominus de servo suo fecit, quæ voluit, & me populumque Romanum tradidit in manus Regis, videbam quotidie passim, fieri rapinas & incendia, cædes & adulteria. Hæc & ejusmodi mala cupiebam avertere ab Ecclesia & populo Dei, & quæ feci, pro liberatione populi Dei feci; feci autem ut homo, quia pulvis sum & cinis. Fateor me male egisse, & rogo vos omnes: orate pro me ad Dominum, ut indulgeat mihi. Illud autem malum scriptum, quod in tentoriis factum est, quod propter pravitatem pravilegium dicitur, condemno sub perpetuo anathemate dantis & accipientis.

Summa igitur sententiæ lætæ in Imperatorem, sicuti dictum est, dum ad Principes Saxonie pervenisset, scisso iterum regno novæ res oriuntur undique contra ipsum. *Adelbertus* Moguntinæ sedis Archiepiscopus, qui per omnia secundus à Rege semper fuerat, dictus est adversus Imperatorem pariter conspirasse. Unde ab eodem Imperatore captivatus est, & custodiæ traditus. Hæc & his familia contra Regem scandalorum zizania suscitabant. Imperator igitur *Herpsfort* solennem curiam celebrans, cum præscripti Principes Saxonie Curiam non adissent, indignatione nimia commotus bona eorum diripi, & possessiones eorum vastari præcepit. Verum Dominus *Reinhardus* Episcopus Halberstadenfis dicto Imperatori tanquam Dei & Ecclesie inimico viriliter resistit, & adversus ipsum omnes terræ Principes animavit. Quod audiens Imperator cum valido exercitu Saxoniam intravit, & fines ejus depopulando rapinis & incendiis pertransivit. Castrum quoque *Horneburg* apprime munitum,

longa obsidione captum, destruxit. Et quia Halberstadenſibus præcipue offensus fuit, ipsam civitatem violenter intravit; & timens ab Episcopo ponendum in ipsa præsidium, fractis muris & domibus in eadem, adjacentes quoque villas incendiis & rapinis vastavit. Hanc igitur hostilem rabiem, hanc intolerabilem orphanorum & viduarum oppressionem, nec non totius terræ desolationem memorandus Episcopus & sui non patienter ferentes, in numerabili equitum & peditum multitudine congregata, eidem Imperatori in Campo *Welpheshold* occurrerunt, & invocato Dei auxilio & sancti protomartyris Stephani, signiferi summi Regis; viriliter prælium committentes, favente divina gratia victoriam sunt adepti, & de exercitu Imperatoris multis millibus nobilibus ac ingenuis gladio interfectis, ipsum Imperatorem in fugam etiam converterunt. Occubuit & in hoc prælio Vir quidam nobilis *Hoyerus* nomine, Comes de *Mansfeld*, qui dudum inter multa, quæ bellicosè egerat, supra dicti *Sigfridi* Palatini Comitis nece se famosissimum in aula Regis fecerat. Assumpta secum electa juventute, compatriotas Saxones audacter invasit, ipseque leonina ferocitate dimicans, cupiditatem gloriæ, qua flagrabat, multis secum cadentibus, morte propria comprobavit. Eodem quoque die Sclavi Transalbini, hac occupatione Saxonum intellecta, fines Saxoniarum manu valida intraverunt. Quibus Principes orientis cum exercitu occurrentes, multiplici strage facta, de ipsis victoriam pariter sunt adepti; & divina clementia Saxonas uno die gemino honestavit triumpho. Dominus vero *Reinhardus* Episcopus ex hoc prælio suis magnam prædicavit consolationem justitiæ; de parte vero Imperatoris casis, sepulturæ etiam interdixit communionem. Factum est autem hoc prælium anno incarnationis Domini 1115.

Imperator verò non parum amaricatus, ad Rhenum se convertit, ad resistendum sibi magis ac magis consensu Saxonum roborato. Interea nunciatur Imperatori obitus illius inclytæ *Machtildis* ab Italia, & ad prædiorum ejus terras amplissimas hæreditario jure possidendas invitatur. Qua femina sicut nemo nostris temporibus ditior ac famosior, ita nemo virtutibus & religione sub laica professione insignior est repertus. Posthæc Imperator Curiam Moguntiarum celebraturus, intravit. Moguntini vero nacta oportunitate, armati intrant, Imperatori mortem minitantes, nisi Pontificem suum *Adelbertum* eis reddat, quem tam multo tempore detinuerat captivatum. Imperator verò, ut coactus promiserat, ipsum Pontificem jam per 3. annos carcere afflictum & ossibus vix hærentem, Cathedræ suæ vix remisit. Imperator itaque, videns à se principum fidem deficere & ab ejus communionem se plerosque subtrahere, in Italiam se una cum Regina totaque domo sua contulit, & circa Padum negotiis regni insistens, Legatos ad Apostolicum pro causis componendis, quæ iterum regnum & sacerdotum disturbare cœperant, suppliciter destinavit. Verum Dominus Apostolicus licet diffiteretur, se illum anathematis vinculo alligasse: ab Ecclesiæ potioribus membris excommunicationem in illum conversam, non nisi ipsorum consilio se posse dissolvere confitetur.

Eodem anno *Paschalis* Papa præsentem vitam finivit; cui successit *Johannes* Casinensis, imposto sibi nomine *Gelasii*. Imperator quoque audito transitu Papæ, Romam properavit: & primo quidem in electione Domini *Johannis*, qui & *Gelasius II.* dictus est, assensum præbens; postea vero eodem à sua se communionem subtrahente, favore quorundam Romanorum, alterum quendam *Burdinum* nomine ex Hispania subvenientem, Apostolicæ sedi imposuit, sicque schisma, quod jam sperabatur emortuum, crudeliter resuscitatum. Nam eodem *Burdino* Romanæ Cathedræ liberè imposto, *Gelasius* cum Cardinalibus cæterisque Catholicis, quos congregare poterat, apud *Capuam* se recipiens, Imperatorem una cum suo idolo *Burdino* damnavit. Hinc per Campaniam cum suis Burgundiam transmigavit, ac Viennæ synodum congregavit, eaque transacta post paucos dies vitam præsentem finivit, & in Cluniacensi monasterio honorificè est sepultus: cui Cardinales & Cælerus Romanus Dominum *Milonem* Viennensem Archiepiscopum substituentes, *Calixtum* mutato nomine vocaverunt. Idem Papa *Calixtus* Concilio congregato, 426. Patribus vallatus, Synodalia prædecessorum suorum decreta confirmavit. Ad quod Imperator nunciis suis directis, pro investituris Ecclesiasticis, quas tantopere cogebatur amittere; quousque cum Principibus generale communicaret consilium, inducias impetravit. Ipse autem Papa non multo post in Italiam vadens, à Romanis cum multa gloria est receptus. *Burdinus* vero cum se in Castello *Sutrii* recepisset, Romani ipsum Castrum destruunt, *Burdinum* capiunt, & post plures à vulgo sibi contumelias & illusiones illatas, vix à manibus eorum Domino Papa illum eripiente, ad agendam poenitentiam exilio est relegatus. Post multifarias tandem tunicæ Christi scissuras, postque tot Christianorum intestina bella, tempus miserandi Sion, licet fero, divina miserante clementia venit. Domini Papæ siquidem legatis ob hoc in Germaniam transmissis, incredibile memoratu, quam prudenti, quam instanti, quam sollicito cunctorum procerum consilio, pro pace & concordia diu sit certatum, donec ipse, in cujus manibus cor Regis est, omnem animositatem suam sub Apostolicæ reverentiæ obedientiam, cura matris Ecclesiæ, & ultra spem plurimorum, inflexit. Mox igitur ab Apostolicæ sedis legatis in communionem recepti, tam ipse Imperator quam universus sibi subiectus exerci-

tus;

tus: prius generali absolutione cunctis hoc schismate pollutis per auctoritatem Apostolicam facta. Qualiter ecclesiasticas investituras ceteraque spiritualia negotia, quæ tanto tempore Reges Teutonici administraverant, quæque ipse Imperator, ne Regni diminueretur honor, nunquam vita comite dimissurum proposuerat, humiliatus pro Christo coram multitudine maxima abnegaverit, & in manu Domini Episcopi Ostiensis, ac per ipsum Domino nostro Jesu Christo suæque in perpetuum Ecclesiæ jus dimiserit; rursusque, qualia sibi, ob honorem Regni conservandum, auctoritas Apostolica concesserit: utriusque partis subter annotata scripta melius edocebunt. Ego HENRICUS DEI GRATIA ROMANORUM IMPERATOR AUGUSTUS, pro amore DEI & S. Romanæ Ecclesiæ & Domini Papæ Calixti, & pro remedio animæ meæ, dimitto Deo & Sanctis Apostolis ejus Petro & Paulo, Sanctæque Ecclesiæ Catholicæ omnem investituram per annulum & baculum, & concedo in omnibus Ecclesiis fieri Electionem & liberam consecrationem. Possessiones & regalia B. Petri, quæ à principio hujus discordiæ usque ad hodiernum diem, sive tempore patris mei sive in meo ablata sunt, quæque habeo, eidem S. Romanæ Ecclesiæ restituo: quæ autem non habeo, ut restituantur, fideliter juvabo. Possessiones etiam omnium Ecclesiarum aliarum & Principum, & aliorum tam Clericorum quam Laicorum, consilio Principum & justitia, quæ habeo, reddam: quæ autem non habeo, ut reddantur, fideliter juvabo, & do veram pacem Calixto, Sanctæque Romanæ Ecclesiæ; & omnibus, qui in parte ipsius sunt vel fuerunt, in quibus S. Romana Ecclesia auxilium postulabit, fideliter juvabo.

Ego Calixtus Servus Servorum Dei dilecto filio Henrico, Dei gratia Romanorum semper Augusto Imperatori; concedo electiones Episcoporum & Abbatum Theutonici Regni, qui ad Regnum pertinent, in præsentia tua fieri absque simonia & aliqua violentia; ut si qua inter partes discordia emerferit, metropolitani & comprovincialium consilio vel iudicio, saniori parti assensum & auxilium præbeas. Electus autem regalia & sceptrum à te recipiat, exceptis omnibus, quæ ad Romanam Ecclesiam pertinere noscuntur, & quæ ex his jure tibi debet, faciat. Ex aliis vero Imperii partibus consecratus, infra sex menses regalia per sceptrum à te recipiat. De quibus verò mihi querimoniam feceris, secundum officii mei debitum, auxilium meum præstabo. Do tibi veram pacem & omnibus, qui in parte tua sunt, vel fuerunt tempore hujus discordiæ. Data anno Domini 1122, 9. Cal. Octob. Hujusmodi scripta atque rescripta propter infinite multitudinis conventum, loco campestri juxta Rhenum lecta sunt, data & accepta. Post multimodas Laudes [Deo] gubernatori redditas, celebratis à Domino Ostiensi divinis Sacramentis, inter quæ Dominum Imperatorem cum pacis osculo sanctaque communiione plenissime reconciliavit, discessum est ab omnibus cum lætitia infinita. Alterum quoque non multo post, id est in festo S. Martini colloquium Imperator cum Principibus, qui priori non aderant, in Bavenberg habuit, ubi & cunctis in sua vota concordantibus, multis, quæ tam ad Regni quam ad sacerdotii congruebant honorem, more majorum compositis, legatos proprios cum Romanis destinavit; & utrosque, nuncia simul & munera ferentes honorifica Domino Apostolico Calixto, consanguineo scilicet & jam sibimet unitissimo, direxit.

Eodem anno Reinhardus Halberstadensis Episcopus, Christi fidelis famulus, postquam debita sollicitudine commissam sibi rexerat Ecclesiam, anno ordinationis suæ 15, 6. Non. Mart. obiit in Christo, & sepultus est Halberstadii in Ecclesia S. Stephani ante altare S. Crucis, in sepulchro Domini Ludolphi Trevirensis Archiepiscopi. Anno Gratia Domini 1123. Indict. 1, Regni autem Henrici Imperatoris 19. tam provido gubernatore subtracto à medio, Halberstadensis Ecclesiæ curam suscipit Dominus OTTO, vir pacificus & mansuetus. Tempore hujus in Pago Wangionum, qui nunc Wormatia nuncupatur, apparuit res digna memoratu. Nam per aliquot dies multitudo equitum armatorum non modica, euntium & redeuntium, atque ad colloquia nunc huc nunc illuc turmas facere videbatur; circa nonam fere horam cuidam monti, à quo exiisse videbantur, se reddentes. Tandem quidam de incolis regionis illius, crucis signaculo se muniens, non sine magno tamen timore tam prodigiosæ concioni appropinquat, & quendam ex illis occurrentem sibi per nomen Domini omnipotentis conjurat, ut causam sibi populi, qui hic apparuit, manifestet. Cui ille inter cætera: Non sumus, inquit, ut putas, Phantasmata, nec militum, ut à vobis cernitur, turba, sed animæ militum, non longe ante hæc occisorum. Arma verò & habitus atque equi, qui nobis prius fuerant instrumenta peccandi, nunc nobis materia sunt tormenti. Et vero totum ignitum est, quod in nobis cernitis, quamvis id vos corporalibus oculis discernere non possitis. Quosdam autem, quos in eodem comitatu cognovit, ab hac pœna orationibus redimi & eleemosinis est edoctus.

Claruit hoc tempore Dominus Theodoricus Zizensis Episcopus, literis apprime eruditus, semper contra schismata, quæ suis temporibus pullulabant, propugnator Catholicus. Hic cum in loco civitati suæ vicino, Bosava nominato, confecisset Collegium Monachorum, quidam inter eos ex gente Soraborum, cum irregulariter viveret, & commonitus tum ab Abbate tum ab Episcopo, in malitia sua perseveraret: ipse Episcopum in oratione ante altare

stantem, ulcio [cultro] perfodit, unde post triduum venerandus Sacerdos, hostia Christi factus, migravit ad Christum. Eodem tempore Dominus *Bolizlaus* Dux Poloniae, gentem Pomeranorum bello sibi subjiciens, à Domino *Calixto* Papa obtinuit, quod ipse Dominum *Ottomem* Bavenbergensem Episcopum ad fidem Christi prædicandam eidem populo destinavit. Qualiter autem Venerandus Episcopus in eadem terra profecerit, ad fidei suæ devotionisque testimonium, sicut subscriptum est literis, annotari præcepit. *Otto* Dei Gratia Bavenbergensis Ecclesie Episcopus, divino admonitus instinctu, Domini Papæ *Calixti* II. auctoritate & assensu roboratus, partes Pomeranorum, Paganorum cum quibusdam civitatibus terræ *Luititia* est aggressus, ut eos ab errore suo revocaret, & ad viam veritatis & ad agnitionem Filii Dei perduceret: quibus baptizatis & conversis Ecclesias construxit & consecravit; & hoc secundum SS. Patrum instituta servare eos docuit, ut scilicet sexta feria abstineant à carne & lacte more cæterorum Christianorum, die Dominica vacent ab omni opere malo & ad Ecclesiam, divinum officium audituri, veniant, ibique orationibus studiose insistant; solennitates sanctorum cum Vigiliis, secundum quod eis indicatum fuerit, omni diligentia observent; Sacro-Sanctam quadragesimam jejuniis, vigiliis, Eleemosynis & orationibus diligentissime observare studeant; infantes suos in Sabbatho S. Paschatos & Pentecostes, cum candelis suis & cappa, quæ dicitur *vestis candida*, & patrinis comitantibus, ad Baptismum deferant, eosque veste innocentie indutos per singulos dies usque in octavum diem ejusdem Sabbati ad Ecclesiam deferant, & celebrationi divini officii interesse satagant. Hoc etiam injunxit, ne filias necarent, quod nefas inter eos maxime vigeat, ne etiam filios suos & filias suas ad baptismum teneant, sed sibi patrilinos quarant; patrinis etiam fidem, amicitiam, ut carnalibus parentibus, fervent. Indixit etiam, ne quis suam commatrem ducat in uxorem, neque propriam cognatam suam usque in sextam aut septimam generationem, & unusquisque contentus sit una uxore. Ne sepeliant mortuos Christianos inter paganos in sylvis aut campis, sed in cæmeteriis, sicuti mos est omnium Christianorum; ne fustes ad eorum sepulchra ponant; omnem ritum & pravitatem Paganam abjiciant, domus Idolorum non construunt, Pythonissas non adeant, sortilegi non sint, neque immundum comedant, non morticinum, non suffocatum nec Idolothyum, nec sanguinem animalium; ne communicent, Paganis nec cibum aut potum cum eis aut in vasculis eorum sumant; ne in his omnibus consuetudinem Paganam repetant. Injunxit etiam eis, ut, dum sani sunt, veniant ad sacerdotes Ecclesie, & confiteantur peccata sua: & infirmitate sua vocent Presbyteros ad se, ut confiteantur peccata sua, & corpus Domini accipiant. Injunxit etiam ut de perjuriis, de adulteriis & homicidiis & de cæteris criminalibus secundum Canonum instituta penitentiam agant & in omni Christiana religione Deo obedientes existant. Mulieres post partum ad Ecclesiam veniant & benedictionem, sicut mos est, ab sacerdote accipiant. Nomina civitatum, quas convertit, hæc sunt: *Porritz, Stetin, Gulin, Camin, Colberg, Belgrado, Lubin, Grefeb.*

Dominus Papa *Calixtus* secundus diem clausit extremum, cui successit Dominus *Lambertus* Hostiensis Episcopus moreque sedis illius, ut tanto dignus honore, *Honorius* 2dus est appellatus. Hoc tempore res accidit satis monstruosa. Puero cuidam crus dextrum diutino tumescens livore, tandem loco collecti puris & pro sanguine, mirabile dictu, grana non pauca tritici, siliginis, hordei & avenæ evidenter effudit. *Henricus* vero hujus vocabuli V. Imperator, sentiens, imminere sibi diem mortis suæ, advocatis consobrinit *Conrado* Duce Francorum & *Friderico* Duce Sævix de statu Regni cum eis, prout potuit, tractavit, communicansque [sacro] viatico defunctus est anno Regni XX, Imperii vero XIV. X. Cal. Junii, Domini *Ottonis* Halberstadenfis Episcopi anno ordinationis 2do, & sepultus est Spiræ. Cum igitur *Electores Regni* in substituendo Rege operam darent, discessione orta inter eos, alii *Lotharium* Ducem Saxonie, alii vero Ducem *Conradum* Francorum orientalium elegerunt. Ipsi igitur aliquamdiu pro regno disceptantibus, *Conradus* non ultra ferens propter se patriæ dispendium & jacturam, zelo Dei & humilitatis spiritu inflammatus ad Dominum *Lotharium* veniens, ejus pedibus provolutus regnum resignavit, veniam postulando. Quem ille benigne suscipiens, gratiæ suæ plenissime reformavit. *Otto* autem Halberstadenfis Episcopus ordinationis suæ anno VI, apud Dominum Papam *Honorium* accusatus est de simoniaca pravitate. Unde ipsum à dignitate Episcopali destituens, literas Apostolicas destinavit Halberstadenfi Ecclesie in hunc modum: *Honorius* Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis suis, clero & populo Halberstadenfi salutem & Apostolicam benedictionem. *Otto* vester Episcopus in nostra & fratrum nostrorum Episcoporum & Cardinalium præsentia de simonia, accusatus & per testes sufficientes de simonia, quam in consecratione *Burnensis* Ecclesie de 30. solidis, pro ipsius consecratione per pactiõnem ab eo requisitis commiserat, convictus est. Ideoque, quoniam in hoc sibi parcere non potuimus nec debuimus, & in hanc partem exardescere semper debet Ecclesia communicato consilio in eum depositionis sententiam protulimus. Ea propter per præsentia scripta vobis mandamus, quatenus invocata Spiritus S. gratia, idoneam personam canonicè vobis in Episcopum eligatis.

Eodem

Eodem autem anno mortuus est Dominus Papa *Honorius*, cui Dominus *Innocentius II.* canonicè substitutus est. Verum *Lotarius* Rex virtutibus præclarus, longe latequè multa fortia faciens, tam pro amore justitiæ quam pro honestate Romanæ Ecclesiæ, anno sui Regni 8. Italia cursu exsuperata, cum exercitu valido Romam venit, & à Domino Papa Innocentio, cum multa gloria & honore, Imperiali est diademate coronatus: Ubi etiam eodem Imperatore & multis de Theutonia Episcopis pro *Ottone* Halberstadenfis Ecclesiæ Episcopo intercedentibus, mediante Domino *Adelberto*, Moguntinæ sedis Archiepiscopo, idem Otto suæ fuit Cathedræ restitutus. Imperator itaque ab Italia rediens, prospero itinere in Saxoniam est reversus, proximumque Pascha, anno scilicet 1134, Indiæ. 12, Regni autem nono, Imperii anno primo, in Civitate Halberstadenfi veneratione regia celebravit. His festis Paschali- bus intervenerat Imperatrix, illustris *Rigenza* Augusta, *Otto* ejusdem loci Episcopus, *Adalbero* Bremensis Archiepiscopus, *Bernhardus* Hildeshemensis Episcopus, *Sivardus* Mindensis, *Udo* Cicensis Episcopus, *Volkmarus* Corbejenfis Abbas, *Gerburgis* Quedlingeburgensis Abbatisa & alii quam plures honorabiles & magnæ autoritatis Viri, & maxima multitudo Cleri; religiosi Principes multique nobiles utriusque sexus; solennitatem Paschalem, fructuoso devotionis affectu, debitis laudibus celebrantes. Aderat & inclytus Rex Danorum - [qui] ab eodem legius Imperatore regia corona & vestimentis regalibus est insignitus, ensen imperialem bajulans coram ipso. Otto autem Halberstadenfis Episcopus 4. anno, postquam restitutus fuit sedi suæ, 10. vero ordinationis suæ anno in *Pisano* concilio à Papa *Innocentio*, Patriarcharum & multorum, qui aderant Pontificum judicio & consilio, irrecuperabiliter, jam secundo Episcopali destitutus est dignitate. Hospitale S. Alexii, quod *Burchardus* de dote Capellæ S. Luderi construxerat, *Otto* Episcopus Ecclesiæ B. Johannis contulit hortatu *Lotarii* Imperatoris & rogatu *Alberti* Moguntini Archiepiscopi, pro restitutione beneficii, quod præbenda portæ vocatur, quod *Bernhardus* Episcopus instituerat, & *Brantogus* Episcopus Ecclesiæ S. Johannis assignaverat procurandum, sed *Reinhardus* Episcopus ipsum abstulerat ab eadem Ecclesia; unde ipsa nimium attenuata fuit. Contulit etiam ea ordinatione, ut ex eodem beneficio infirmi secundum nostram & antiquam institutionem pascantur: reliquæ vero ad usum fratrum in clauetro B. Johannis perveniant.

Anno igitur Domini 1137. Indiæ. 14, regni vero *Lotarii* undecimo, imperii tertio, Ecclesia Halberstadenfi non habente Pastorem, Imperator *Lotarius*, *Gerhardus* Cardinalis, Apostolicæ sedis legatus, *Adelbertus* Moguntinæ sedis Archiepiscopus, *Bernhardus* Hildesiensis Episcopus cum multis religiosis viris conveniunt ad electionem, & invocata Spiritus S. gratia, Dominus *Rudolphus*, vir patiens & quietus & vita honestus, pari voto totius Cleri & unanimes consensu populi in Episcopum est electus, in Dominica Latere Jerusalem, 6. Non. Martii. Auctoritate igitur tam celebri personarum venerabilium confirmatus, post proximum Pascha in Dominica, qua cantatur Jubilate, Idibus Aprilis à prædicto Archiepiscopo Moguntino *Herpesfordæ* benedictionem Episcopalem rite accepit: non aliunde ingressus, sed per ostium, nec sibi sumens honorem sed vocatus à Deo tanquam Aaron. Ab ejus itaque ordinatione evolutis fere annis duobus *Lotharius* de *Apuleja* victor secundo reversus, pridie Non. Decembris, universæ carnis viam est ingressus, anno regni sui 13, Imperii 5, & ab eodem Episcopo in *Lutherensi* monasterio honore, quo decuit, est sepultus. Post mortem, igitur tanti viri elevatur in Regnum *Conradus* supra memoratus, Dux orientalium Francorum, fortis viribus, moribus & aspectu serenus.

Præfatus autem *Rudolphus* Episcopus gregem sibi commissum fideliter procurando, confidenter & simpliciter in Domino ambulabat, totusque caritatis & misericordiæ operibus redundando, Ecclesias sibi in Domino suffragantes, paterna visitare munificentiæ satagebat. Basilicam quoque S. Mariæ Virginis intra urbem, (nam prius parvula & deformis erat) à fundamento devotissime renovavit, & B. Dei genetrice expensas ei necessarias in hoc opus satis miraculose quam sæpius procurante, eandem Ecclesiam, ut nunc cernitur, venustissime consummavit, multisque ad usum & decorem ejusdem templi liberaliter erogatis, ipsum honore congruo dedicavit anno videlicet Domini 1146, anno autem ordinationis suæ 15. Cum itaque esset vir sanctus & justus, multisque insignibus claruisset operibus, inter cætera Domino *Otrico* B. M. Præposito, quem in Spiritu in Pontificali dignitate sibi prævidebat successurum, solitus erat dicere: quod desideras, obtinebis: sed nunquam in eo lato die tibi dabitur frui posse. Hic igitur felix Pontifex, cum rexisset Ecclesiam suam fideliter ac prudenter, 16. ordinationis suæ anno, 2. Non. Octob. mortem subiit temporalem: & quia cum hominibus bonæ voluntatis pacem semper complectebatur in terris, pie creditur ipsum esse Dei gloriæ participem in excelsis. Corpus autem ejus in Ecclesia B. Mariæ, quam ipse devotus fabricaverat architectus, honore debito est sepultum.

Conradus autem Rex, cruce signatus cum multis Principibus, nobilibus aliisque innumerabilibus viris bellatoribus, terram sanctam glorioso visitavit apparatu. *Damascum* quoque quæ caput est Syriæ, circumdedit obsidione: sed eam capere non valens; terram undique vastans, multaque fortia agens, ex ipsa tandem ad propria est reversus, annoque Domini 1150. debitum carnis persolvit. Qui cum filium suum puerum adhuc, Regem futurum

turum & insignia Imperialia, Domini *Friderici* Ducis *Sveviae*, qui proximus ejus haeres fuit, fidei commendasset, defuncto ipso puero, idem *Fridericus* in Regem est electus. Ab Imperatore *Carolo* usque ad ipsum *Fridericum* omnes Reges Romani leguntur aut à Francia aut à Saxonia surrexisse. Nam Magno *Carolo* successit *Ludovicus*; *Ludovico* filius suus *secundus Ludovicus*; secundo *Ludovico* filius suus *tertius Ludovicus*; 3tio *Ludovico* filius suus *Carolus*; *Carolo*, à folio regni deposito, *Arnolphus* successit. *Arnolpho* filius suus *Ludovicus quartus*. Huic cum non esset filius, cuncti Principes *Ottonem Ducem Saxoniae* in Regem eligere conati sunt. Quod cum ipse penitus refutasset, sicut paulo ante dictum est; de suo consilio *Conradus*, qui quarto *Ludovico* in illa cognatione proximus erat in Regem est electus. Huc usque *Caroli* progenies regni fastigia tenuerunt. Dehinc Imperatores *Saxonici* surrexerunt. Nam *Conrado* quia non erat haeres, *Henricum* filium jam dicti *Otonis Ducis Saxoniae* Principes elegerunt in Regem. *Henrico* primo successit filius suus *Otto M.* *Otoni M.* filius *Otto Rufus*; *Otoni Rufo* filius *Otto III.*; *Otoni III.* cum non esset filius, *Henricus* Dux *Bavariae*, qui sibi in linea consanguinitatis proximus erat, successit. Nam primo *Henrico Otonis Ducis* filio tres fuerant filii: primogenitus *Otto M.*, secundus *Henricus*, tertius *Bruno*. Sed *Otoni M.* ut diximus, regnum cessit: *Brunoni* Archiepiscopatus *Moguntinae* [*Colonienfis*] sedis, *Henrico* Ducatus *Bavariae*. *Henrico* Duci successit filius suus *Henricus*; Iste *Henrico* filius suus *Henricus tertius* in *Bavarico* Principatu: & quotquot fuerant *Otones* Imperatores, tot fuerunt *Henrici* *Bavarici* Duces. Defuncto igitur *Otone*; sine filio, ille *Henricus 3tius* Dux *Bavariae* ei successit in Regnum. *Henrico* similiter sine filio defuncto, *Conradus* genere propinquior sibi successit. *Conrado* filius suus *Henricus tertius*, tertio *quartus*, & quarto *Henrico* filius suus *Henricus Quintus*. Cui *Lotharius* successit Dux *Saxoniae*: post quem *Conradus* antecessor *Friderici*. Et ita liquido claret, quod prole *Caroli* & *Francis* regnare cessantibus in *Conrado* primo à primo *Henrico* usque ad ultimum *Conradum* Regem, *Saxoniorum* unius est consanguinitatis linea propagata.

Electo igitur in Regem *Svevorum* Duce *Friderico*, ipse cum copioso exercitu *Italiam* est ingressus, & multos *Lombardorum* inveniens sibi rebelles, *Mediolanum*, quod praecipue sibi adversabatur, obsedit, & multa fortia ibi agens, multaque indigna sustinens, tandem ad deditionem eam compulit & destruxit. Dominus autem *Reinoldus* *Colonienfis* Episcopus, cujus virtutes in Imperatoris auxilio praecipue claruerunt, apud *Mediolanum* inventis corporibus *Trium* Magorum, ad civitatem suam *Coloniam* ipsa cum magna industria duci fecit. Rex vero tam ingenio quam industria, quibus ipse super omnes Imperii Principes visus est pollere, licet cum magno labore, tota tamen *Italia* superata, *Romam* venit, Romanisque pariter sibi resistentibus multisque cum eis commissis proeliis, urbem tandem *Victoriosus* intravit, & à *Papa Adriano* qui successit *Eugenio*, Imperatoriae consecrationis coronam accepit.

Anno autem Domini 1151. indict. 8. Dominus *OLRICUS*, *S. Mariae* Praepositus, moribus strenuus & Religione severus, in *Halberstadenfis* Ecclesiae Episcopum est electus, & à Domino *Conrado* *Moguntinae* sedis Archiepiscopo benedictionem Episcopalem pariter est adeptus. Tempore hujus, peccatis exigentibus, universale Schisma in Ecclesia est exortum. Nam mortuo Domino *Papa Adriano*, in electione partes sunt factae. Una parte eligente *Ottavianum*, sanior pars Dominum *Alexandrum* elegit. Sed *Alexander* tres *Papas* Schismaticos supervixit, *Ottavianum*, *Victorem* & *Paschalem*. *Fridericus* vero Imperator cum universae fere *Teutonicae* Principibus & Clero schisma est secutus. Haec tribulatio fere 19 annos duravit. Dominus *Conradus* *Moguntinae* sedis Archiepiscopus & Dominus *Olricus* *Halberstadenfis* Ecclesiae Episcopus, Schismatico *Papae* non consentientes, à suis *Cathedris* sunt expulsi. *Moguntinae* Ecclesiae Dominus *Christianus* & *Halberstadenfis* Ecclesiae Dominus *Gero* supponitur. Sed anno Domini 1171 *Fridericus* Imperator post multas miseras & xrumnas, quibus tribulata est Ecclesia & afflicta, quae omnia huic compendio interferrere longum esset, tandem cum suo imperio consensit in *Alexandrum*, Domino *Philippo* *Colonienfi* & Domino *Wigmanno* *Magdeburgensi* Archiepiscopis officiosa sedulitate laborantibus & fideliter, proficientibus in hoc facto. Et sic ad unitatem corpore Ecclesiae reformato, Dominus *Olricus* restituitur sedi suae, & Dominus *Gero* videns, Episcopum esse receptum unanimiter sponte cessit, & Dominus *Olricus* Episcopus omnia facta Domini *Geronis* in irritum revocavit. Quibus autem Dominus *Gero* manus imposuerat, dispensante Domino *Papa*, in suis Ordinibus perstiterunt.

Sedata igitur generali tempestate, particularis emerfit. Nam Dux *Henricus Leo* contra imperium se erexit, & *Halberstadensem* Ecclesiam pro spirituali odio, quod adversus Episcopum *Olricum* diu habuerat, laniare cepit, & maxime ideò, quia reditus, quos ille tempore Schismatis occuparat, requirere conabatur. In ea igitur crudelitate castrum *Horneburg* bis destruxit, Civitatem quoque *Halberstadensem* miserabili incendio cum monasteriis omnibus & Ecclesiis & populo multo concremavit, & Episcopum cum multis aliis captivum abduxit. Super hoc ergo excidio versus cujusdam sapientis subnectere dignum duxi.

Quis

Quis furor ignis? quæve malignis causa furoris,
 Carmine pingo: non ego fingo, verba doloris.
 Urbs sacra, dives, plebs bona, cives est data prædæ.
 Fit pavor urbis, fit fuga turbis, fit fuga foedæ:
 Ignis inhorret, cunctaque torret flamma cremando:
 Obvia telis turba fidelis, nulla juvando.
 Mors atra, cædes, flamma per ædes cuncta perurget,
 Dicite cives, urbs ubi dives, quando resurget:
 Sæviti in armis fulgida parmis turba cohortis
 Voce minaci, dissona paci, nuncia mortis.
 Vivere digni sunt cibus igni, sunt cinerati,
 Ad loca cæli mente fideli jure vocati:
 Igne perusti sunt modo iusti, suntque beati.
 Stirpe Sereni, flos quasi fœni, morte teruntur:
 Stemmata pleni, sub scrobe cœni projiciuntur.
 Tollit amictus miles, & ictus ense minatur:
 Vox tonat oris, dextra furoris cæde fugatur.
 Nil valet ullum ferre cucullum, cum cruce signum:
 Ordine functum nil valet unctum vivere dignum.
 Quæ sacra cernit, vis mala spernit, cuncta profanat:
 Alta refundit, firma retundit, culmina planat.
 Vertice canum menteque sanum, multa scientem
 Nullus honorat, gratia rorat nulla furentum:
 Pugnat equestris turba, pedestris tela secuta
 Quidlibet audet, factaque gaudet vindice tuta.
 Æstimat aptum ducere raptum virginitatis,
 Vimque minacem tollere, pacem lædere gratis.
 Vis mala crescit, (jus quia cessit) facta puellis:
 Vi capiuntur, vique trahuntur cedere bellis.
 Non capit ætas, ut caro, metas, tempus amoris:
 Est laceratis jus feritatis plaga doloris.
 Pax violatis nulla ligatis lege tenetur:
 Ad mala luxus turpia fluxus liber habetur.
 Præsul honestus sustinet æstus vimque caloris,
 Se rata monstrat firmaque constat gemma decoris:
 Vir benedictus non timet ictus vimque minacem,
 Non timet hostes rumpere postes, non dare pacem:
 Pectora terror sacra, nec error ad juga duxit.
 Jura tenaci consona paci mens pia luxit.
 Jam clypeatis igne fugatis, igne cremante,
 Stat pater urbis jam sine turbis, vi dominante.
 Ecce tenetur, captus habetur vir pretiosus:
 Gaudia licitor fert, quia victor recta perosus.
 Rex pie cernens cuncta, gubernans, parce crematis:
 Caumate stratos redde beatos, fons pietatis.

Pro isto facto Duci *Henrico* coram Imperio Ducatus Saxonie, & omnia, quæ habebat, per-
 sententiam sunt abjudicata. Episcopus quoque Castrum *Alvensleben*, quod quidam ministe-
 riales inter beneficia sua computaverant, & Castrum *Gatersleben*, quod in allodio Episcopali
 tempore ejectionis sue constructum erat, ad Episcopalem recuperavit possessionem. Redi-
 tus etiam Episcopales, quos attenuatos invenit, in quantum potuit, ampliavit. Denique
 anno Domini 1181. 3. Cal. Augusti in fide Catholica Domino reddidit spiritum: cujus corpus
 in Hildeburgensi [Ilfsenburgensi] Ecclesia, in qua ipse decubuerat, est sepulchrum.

Defuncto *Alexandro* Papa 3, *Lucius* ei successit; post quem *Gregorius VIII*; post quem *Ur-
 banus*, post quem *Clemens*.

Orbata igitur gubernatore Halberstadenfis Ecclesia, Dominus **THEODORICUS**
S. Mariæ Præpositus, 3. Nonas Augusti canonicè in Episcopum est electus, & intra quatuor
 dies electionis sue à Domino *Fridrico* Imperatore, in obsidione Castrum *Richenberg* existente,
 regalia accepit. Sed quia superbia *Henrici* Ducis nondum humiliata fuit, contra incurfus

castrorum suorum, Civitatem suam prementium, jussu Imperatoris prope civitatem construxit Castrum, quod postea *Langenstein* est vocatum. In altera parte scilicet ab aquilone de *Haldesleve* veniebat malum. Ad everfionem igitur hujus *Theodoricus* Episcopus magno sumptu cooperatus fuit Domino *Wigmanno* Magdeburgensi Archiepiscopo. Tandem cum Castra omnia, quæ Ducis Henrici fuerant, subjecta essent Imperatoriæ potestati, adhuc tamen *Blanckenburg* rebellabat. Sed cogente necessitate Ecclesiæ, jussu Imperatoris Episcopus idem Castrum subvertit. Consecratus est autem à Domino *Conrado* Archiepiscopo anno Domini 1184.

Hujus ordinationis anno 3tio, qui est annus Dominicæ incarnationis 1187, visitavit Dominus in virga ferrea & in verberibus peccata hominum. *Salahadinus* siquidem sive *Soldanus* Saracenorum terram promissionis duxit captivam, & Jerusalem Civitatem sanctam possedit. Quidam autem Christianorum, qui ab interfectis reservati sunt, abierunt in captivitatem ante faciem persequentis; quidam vero non captivi exterminati sunt. Anno Gratia 1181 *Fridericus* Imperator cum innumera multitudine fidelium ad succurrendum terræ sanctæ crucis signaculo se signavit.

Anno autem Domini 1189 milites Christi cruce signati, relictis omnibus Dominum sunt secuti, & ut liberarent locum, ubi pedes Domini steterunt, per Græciam iter arripuerunt. Sed per infidelitatem Græcorum multas injurias sunt perpeffi. Multis tandem evasis periculis, dum exercitus fluvium quendam prope Antiochiam transierat, Imperator volens se refrigerare, in eodem lamentabiliter est submersus, & sic totus ejus exercitus est dispersus. Corpus autem ejus à filio suo, illustri Duce Sæviæ, ductum est usque Tyrum, & in Ecclesia B. *Johannis Baptistæ* honore congruo est humatum. Mortuus est autem & filius ejus jam dictus, & in Ecclesia domus Teutonicorum hospitalis in *Acon* honorifice est sepultus. Eodem autem anno Rex Franciæ & Angliæ sub signo crucis peregrinari cœperunt. Eodem quoque anno, *Clemente* Papa defuncto, *Celestinus* sibi succedens, in die Paschæ est consecratus, & sequenti die consecrando *Henricum*, qui vivente patre electus fuit, & uxorem ejus *Constantiam* coronavit. Anno autem Domini 1191 *Acon* civitas à Christianis capta est, & Saraceni omnes in ea capti fuerunt aut interfecti. Captæ *Acon* interfuerant Rex Franciæ & Angliæ. Rex Franciæ capta civitate statim repatriavit: Rex Angliæ vero, cum postmodum redire vellet, inter Aquilejam & Venetiæ naufragium passus, à Duce Austriæ, quem idem Rex in partibus transmarinis tractaverat inhonestè, captus est, & Imperatori *Henrico*, quem idem Rex in multis offenderat, presentatus. Ipse igitur Rex ducentis millibus marcarum à captivitate Imperatoris se exemit, & pariter legium ipsi faciens hominum, coronam Regni sui ab ipso recepit.

Anno autem Domini 1193, anno Ordinationis *Theodoricus* Episcopi X. mortuus est *Wigmannus* Magdeburgensis Archiepiscopus, cui successit ejusdem Ecclesiæ Decanus *Ludolphus*. Exequiis autem ejus interfuit Dominus *Theodoricus* Episcopus; imò ipsum pariter sepelivit. Ex antiqua enim Magdeburgensis & Halberstadenfis Ecclesiæ consuetudine est, quodammodo justitia exigente, ut superstes Episcopus mortuum debeat sepelire; maxime ob hoc, quia duæ sedes Episcopales in una Parochia scilicet Halberstadenfi sitæ sunt. Ideoque fraternitatis debito sunt connexæ. Sedit autem Dominus *Theodoricus* Episcopus annis 13, & mortuus est & sepultus in Civitate, in Ecclesia S. *Stephani* ante altare S. *Crucis*. Quia igitur Halberstadenfis Ecclesia pastore diu carere non potuit, anno Domini 1195 Dominus **GARDOLPHUS** Decanus & Vice-Dominus canonicè in Episcopum est electus. Hic itaque & sanguinis & mentis adeo fuit nobilitatis titulis insignitus, quòd, si de pari certasset duplex nobilitas, nimirum vinci altera nequisset. Ipse enim morum elegantia & angelica facie, quam prætendit, omnium in se affectus provocabat. Denique tantarum virtutum odore fuit perfusus, quod & omnibus omnia factus, meritò vicissitudinis talione ab omnibus est dilectus. Ipse enim Imperialis Aulæ Capellanus existens, in oculis Imperatoris *Henrici* hujus Vocabuli VI tantam invenit gratiam & favorem, quod, cum ipse electus ad Imperatorem accederet, regalia accepturus, ipsius electionem adeo gratam haberet & acceptam, quod ipse Halberstadensem Ecclesiam specialis prærogativa brachiis amplectendam, & Imperiali patrocinio à se pollicitus est semper favorabilius exaltandam. Cum multa igitur alacritate acceptis ab eo regalibus, quia Dominus *Conradus*, Moguntinæ sedis Archiepiscopus, cum Principibus Saxonie conspiraverat adversus Imperatorem, quod ipse petiverat ab iisdem, ut successio Imperii ad hæredes suos transiret, ejusdem electi ordinatio aliquantulum est protracta. Sed idem electus nuncium, qui conspiracytionis inter principes [litteras] tulit, cum eisdem literis captivavit: quibus Imperatori ostensis, ipse sicut vir sapiens & discretus, petitionem porrectam Principibus relaxavit. Omni igitur inter eos seditione sedata, Dominus *Gardolphus* à Domino *Conrado* Moguntinæ sedis Archiepiscopo, in præsentia Domini Imperatoris *Henrici* & multorum Principum & nobilium, omnium gratulabundo applausu, tam sacerdotalem quam Episcopalem benedictionem est adeptus. Ipse itaque onus sibi impositum plus considerans quam honorem, ut Ecclesiæ suæ proficeret, totis viribus laboravit. Cumque non modico detracta fuit dispensio & jactura, ad ductum meliorem,

liorem, quantum potuit, reformavit. Reditus quoque Episcopales, quos nimis attenuatos invenit, pulchre satis adauxit. Campanam quoque laudabilem & lapidem baptismalem politum de marmore exquisito S. Stephano, tam devotè quam liberaliter erogavit. Cum autem in bonis Ecclesiarum suarum obligatis redimendis, in prædiis quoque emendis, Ecclesiam suam ditando, eidemque interius per omnia providendo, sollicitam semper & immensam daret operam: considerans, se etiam positum supra montem, ut non abscondatur, nec lucernam ejus ponendam sub modio, sed super candelabrum, ut luceret omnibus, qui in domo essent; ad exteriora conversus, consuetudinem semper habuit laudabilem ac felicem, ut ubicunque in terra sua controversiam aliquam emergere vidit aut dissensionem, totum ingenium ac solers studium protinus ad ipsius apposuit complanationem, omnique opera, qua potuit, impensa non quievit, donec ad bonum pacis & concordie discordantes penitus reformavit. Unde factum est, ut in diebus ejus pax utique in virtute sua vigeret, & in finibus ejus abundantia redundaret.

Hujus ordinationis anno 3 *Celestinus* Papa defunctus est, cui successit Dominus *Lotharius*, qui & *Innocentius III.* est vocatus, juvenis quidem ætate, sed sensu & scientia in apostolici juris reformatione super omnes antecessores suos strenuus & maturus. Hic itaque anno incarnationis Domini 1175 *Johannem* tituli S. Stephani de Celio monte, Presbyterum Cardinalem, ad partes Teutoniarum destinavit, ad succursum terræ sanctæ omnes verbo prædicationis crebrius invitantem. Hac autem legatione in solenni Curia *Henrici* Imperatoris functus, plerosque Principes imperii Crucis signaculo consignavit, inter quos & Dominus *Gardolphus* Episcopus pari voto ad hoc ministerium se adstrinxit. Unde cum ipse glorioso sumtu se apparasset B. Stephani Ecclesiam dedicare, quæ post miserabile excidium civitatis nondum reconciliata fuit: propter urgens votum suum, occulto Dei judicio, à tali fuit desiderio præpeditus. Protracta autem prædicta peregrinatione signatorum *Henricus* quondam Dux Saxoniarum viam universæ carnis intravit. Quod *Gardolphus* Episcopus Domino Imperatori corporaliter intimavit; ipseque nacta oportunitate castrum *Horneburg*, quod idem Dux everterat, reedificare cepit; & licet ad obsequium S. Crucis jam fuisset accinctus, ipsum eodem anno muro & vallo peroptimè & decenter munivit, prudentis Principis ac fidelis in hoc patienter judicium ostendendo, quod licet in articulo peregrinationis suæ jam esset, ipse tamen suis non est veritus exanimare se, ut in ea parte contra insultus hostium Ecclesiarum suarum præsidium poneret & muniret. In eodem quoque Castro Capellam B. M. Magdalene satis honeste construxit, eamque solennitate celebri dedicavit, & quia B. M. Magdalene patrocinia spirituali semper affectione studuit venerari, ipsius festivitatem in civitate Halberstadt ob sui memoriam in perpetuum fecit celebrem & solennem. Nam ut conventuales Ecclesiarum in hoc festo ad vesperas & ad Missam conveniant in Majori Ecclesia & ad honorem B. M. Magdalene veneratione debita solennizent & ob hoc ab ipso instituta eis Consolatio tribuatur, idem Episcopus sagaciter ordinavit.

Rebus itaque Ecclesiarum suarum ac negotiis tam in interioribus quam in exterioribus paternam sollicitudine circumspicentis ac omnibus ordinatè & bene per omnia dispositis anno Domini 1196 ordinationis suæ anno 3 ad obsequium S. Crucis iter peregrinationis arripuit, & veniens Barum Apulie civitatem consanguineum suum Dominum *Conradum Hildensemensem* Episcopum Imperialis Aulae Cancellarium, qui ex parte Imperatoris *Henrici* Apulie Regnum procuravit, ibidem invenit. Qui cum ipsum cum multæ affectionis honorificentia suscepisset, eique multiplicem exhibuisset gloriam & honorem, sibi inter cetera sui mysterium confilii patefecit, quod videlicet *monasterium S. Nicolai*, in quo & de membris ejus oleum salutare defudat, votivum haberet desiderium dedicandi. Anno gratiæ 1196 jam dictus Cancellarius Basilicam S. Nicolai tam affectuose quam solenniter dedicavit cooperante & benedicente Domino *Gardolpho* Episcopo in omnibus fideliter ac devote. Aderant quoque Archiepiscopi & Episcopi numero III, Abbatum, aliorumque prælatorum & venerabilium Clericorum & plebis utriusque sexus ex omni natione, quæ sub cælo est, numerus copiosus, hujus dedicationis solennitatem tam affectuosam quam dignam veneratione, ea qua decuit reverentia celebrantes. Sed Dominus Cancellarius omnibus uberrime ministrans expensas, prælatis omnibus largitatis suæ munera liberaliter erogavit. Post hæc vero Dominus *Gardolphus* præparatis sibi necessariis, cum aliis peregrinis, qui advenerant, transfretavit. Cancellarius autem eodem voto adstrictus ad Insulam Cyprum divertit & Regem *Cypri Henrico* Imperatori Legium hominum facientem ex parte ipsius honorificè coronavit, ut & ipse & successores sui in fidelitate Romanorum Imperatorum jugiter perseverent; sed & Dominus *Conradus Moguntinus* Archiepiscopus Dominum *Leonem* Regem *Armenie* ex parte Imperatoris *Henrici* forti consilio coronavit. Peregrinis autem in partibus transmarinis existentibus Dominus *Henricus Comes Campanie*, qui & regnum Hierosolymorum tenebat, in pallatio suo, appodians ad cancellos, casu corruit & fractis cervicibus expiravit. Principes igitur de concilio Cancellarii accersito Rege *Cypri Amaulrico* Regnum ipsi Hierosolymorum pariter tradiderunt. Peregrini igitur *Henrico* Duce *Lotharingie*, quem ducem exercitus constituerant, conducente, *Beritum* civitatem cum castro, possessoribus ipsorum à Deo fugatis; castrum quoque munitissimum *Thorat* nomine

circumdederant obsidione, sed post aliquot dies Saracenorum exercitu copioso à Babylonia veniente hanc obsidionem solvere sunt coacti.

Ipsis igitur apud Acon existentibus Dominus *Henricus* hujus vocabuli *Sextus Imperator* universæ carnis viam est ingressus anno Incarnationis Domini 1197. Imperii sui VII. anno. Fama igitur mortis ejus intellecta Principes in transmarinis partibus existentes filium ejusdem Imperatoris, quem vivente Patre, elegerant in Imperatorem secundo elegerunt, fidelitatem ei juratoriam facientes, sed per mortem Imperatoris mente non modicum consternati ad repatriandum unanimiter festinabant. Fretantes igitur & quidam Apuliæ partibus applicantes ab incolis regionis ejusdem crudelitatem immanissimam sunt perpeffi. Nam Apuli à Teutonicorum jugo, quo graviter pressi fuerant, oportunitate nunc habita se excutientes, in Teutonicorum gente, quemcunque deprehendissent, passas injurias crudelissime refuderunt. Verum *Gardolphus* Episcopus adjunctis sibi sociis suis navem conscendens, post aliquot dies lætos, tempestate valida est correptus. Malo igitur navis in partes contracto, navique natante & titubante, cum tandem post multa horrenda & fæva pericula, disponente Domino ad partes Græciæ fuissent appulsi, plerique, qui in ipsa erant ad terram descendentes, ulterius maris & fluctuum periculis se committere formidantes, consilium habuerunt, ut per Græciam iter facerent revertendis, qui à Græcis spoliati, multisque nefariis injuriis tribulati post inestimabiles miseras & ærumnas, detestanda quidem hujus viæ dispendia evaserunt. Sed Dominus *Gardolphus Episcopus* saniori usus consilio Græcorum fidei nullatenus se committens, cum sociis suis navem, quæ casu advenerat ascendens, meliori auspicio auraque secunda ad partes Istriæ est advectus. Indeque per terram nobilis viri *Meineri Comitis de Sazze*, ipso conducente perductus, tandem cum omnibus suis, ducente Domino, sanus & incolumis suis est finibus restitutus, & ab Ecclesia sua multa jucunditate & exultatione, debita solennitate receptus. Sed tantos hos labores gratulans se fecisse devitata Scylla incidit in Charibdim. Nam magnis periculis suæ peregrinationis evasis domum rediens majoribus est perplexus.

Defuncto siquidem Imperatore Henrico in electione Imperatoris perniciosâ dissensio inter Principes est exorta. Cum enim *electores Saxonie Principes* ad eligendum Imperatorem, universos imperii Principes crebrius invitarent, quidam Principes avaritiæ dediti huic sacræ electioni execrabiles interponere non sunt veriti conditiones. Alii vero ut tyrannidi suæ impune liberius possent vacare, hanc electionem conati sunt impedire. Principes verò Saxonie non ferentes Imperium sine Rectore sub tantæ ruinæ periculo vacillare, quibusdam aliarum Provinciarum Principibus convocatis, in nomine Domini congregati in Villa *Arnefledde* Moguntinæ Diœcesis, Sancti Spiritus auxilio invocato, Dominum Philippum Ducem Sueviæ, filium & fratrem divorum Imperatorum, Friderici & Henrici, Imperatorem unanimiter elegerunt anno videlicet Domini 1197 anno Ordinationis Gardolphi Episcopi quarto. Hac igitur electione celebrata Moguntiam est adductus, populoque ostensus, sicut mos est facere de electis, & pari voto omnium & consensu, acclamatione quoque unanimi & applausu in Regem est collaudatus. Sed quia Dominus *Conradus Archiepiscopus* nondum redierat de partibus transmarinis, de consilio Principum Tarantinensis Archiepiscopus ipsum in Regem consecravit & insignibus Imperialibus, quæ penes ipsum erant, pariter insignivit. *Adolphus* vero *Coloniensis* Archiepiscopus & quidam Principes Rheni sicut dissensionis & discordiæ desiderium in corde gestaverant, rem in actum proferre festinantes, Ottonem comitem Piætavie filium Henrici quondam ducis accersitum in Regem eligunt, æstimantes majus flagitium nequivisse se Saxonibus erogare, quam talem eis apponere, qui odium inter ipsos & patrem ejus habitum contra eos jugiter debeat irritare. Ipse autem pecuniam ab Avunculo suo Anglicorum rege pro comitia sua datam Electoribus suis, quod sitiverant, erogavit. Qui capta Aquisgrani civitate eundem electum intronizatum in sede regia collocantes, diademate regio coronarunt.

Hujus itaque Schismatis procelloso turbine Imperium undique perturbante Dominus *Gardolphus Episcopus* ad suam Ecclesiam rediens, ipsam invenit præcipue hac calamitate perplexam. Nam in terminis adversarum partium constituta, pares utriusque ferebat insultus, nec etiam partes altrinsecus se sine damno suæ Ecclesiæ contingere potuerunt. Ipse quoque Episcopus ab utraque parte sollicitabatur, ut ad alterutram declinaret. Sed ab uno latere gravissimum sibi videns periculum imminere, si ipse ad alteram partem declinaret, quia ipse robur viri non habuit, eorundem imperum propulsare; efficiente tamen suo ingenio, quod utique in corpore exiguo non exiguum erat, multo tempore in medio duorum ignium constitutus, non est per DEI gratiam æstuatus. Invalescente tandem parte Regis Philippi anno Domini 1198, regni sui 3. ordinationis Domini Gardolphi Episcopi anno 6. idem Rex in Magdeburg solennem curiam celebravit. Cum autem ad hanc curiam multi principes convenissent, & Dominus Gardolphus Episcopus, ut ad partem suam cederet ab omnibus crebrius urgeretur; inductu tandem Domini *Conradi sui consanguinei Imperialis Aula Cancellarii* ad Regem Philippum venit, eique se suis obsequiis mancipavit. Rex
autem

autem festum Nativitatis Domini *Magdeburgi* ingenti magnificentia celebravit. Ipsa quoque die illa regalibus indumentis & Imperiali diademate insignitus solemniter incedebat, sed & conjux sua *Catharina Augusta* regio cultu excellentissime simul ornata, à Venerabili Domina *Agneta Quedlinburgensi Abbatissa* & Domina *Juditta Bernhardi Ducis Saxonie uxore*, aliarumque illustrium foeminarum stipante caterva Regem fuit tam decentissime quam venustissime profecuta. Episcopi quoque qui aderant Pontificalibus indumentis ornati, Regem & Reginam ex utroque latere tam reverenter quam honorabiliter conduxerunt.

Bernhardus autem *Dux Saxonie* qui & *ensem Regium praeferibat*, caeterique Principes assistentes, Virique nobiles, Comites & Barones. omnisque gradus plebs collecta in obsequio Regum & tantae solennitatis officio sedulitate ferventes erant; omnesque qui aderant, quorum incomprehensibilis extitit numerus, corde gaudentes, animis exultantes, manibus applaudentes, vocibus perstreptentes, opere vigilantes, huic solennitati uniformiter arriserunt, ipsam per omnia debita devotionis tripudio peragentes. Dominus autem *Conradus Imperialis aule Cancellarius* sagaciter cuncta disposuit & prudenter, & ut ordinate fierent res, omnia fideliter procuravit.

Anno autem Domini 1199. Regni vero Regis *Philippi 4.* Ordinationis Domini *Gardolphi* Episcopi anno sexto idem Rex communicato cum Principibus Saxonie consilio cum multa militia Civitatem *Brunschwig* circumdedit obsidione. In quo dum per aliquantum temporis perstitisset, milites orientales ollis carnum jam exhaustis, aspirantes ad balnea & medones domum redire celerius festinabant: unde Rex obsidionem Civitatis solvere cogebatur. Illos autem taliter discedentes horrida involvit tempestas, quod ipsi omnibus suis in via relictis, vix incommoda tanti discriminis evaserunt. Equos autem, arma, vestes quoque, victualia & utensilia cum varia suppellectile, quam reliquerant, quilibet adveniens pro voluntate sua accepit. Tam inordinate autem soluta fuit haec expeditio & confusa, quod nec Trocis [*Trossis* id est *Calonibus*] portionem dederant, & nocendi reliquerant facultatem.

Processu vero temporis cum pars Domini Regis *Philippi* cresceret, & quotidie fortior esset, Dominus *Innocentius Papa Regem Ottonem* dilexit: *Philippum* autem odio habere cepit. Ad ipsius itaque reprobationem & alterius institutionem promovendam Dominus *Guidonem Cardinalem Praenestinum Episcopum* ad partes Teutoniae destinavit, cujus legatione intellecta Dominus *Gardolphus Episcopus* non modicum consternatus est mente, & licet Principibus, qui Regi *Ottoni* specialiter adhaeserunt, acceptissimus fuerit, & plurimum ab iis dilectus, consolatorias saepius accepit literas ab iisdem. Ipse tamen inconsolabiliter doluit. Praesaga enim meditatione ante oculos sibi proposuit, quam Dominus *Papa Ecclesiarum*, Principes ad serviendum Regi *Ottoni* per distinctionem Ecclesiasticam debeat coarctare; & quod sententia ejus neglecta, rigor Ecclesiasticus, in quo omnis salus Ecclesiae pendet & honor, penitus debeat enervari. Unde Ecclesia irrecuperabile incursum sit dispendium & jacturam. Et ut ipse mala ipsa vitare posset, fixum in corde suo habuit ad curiam Romanam personaliter accedere, & Apostolico patrocinio, si fieri posset, hanc calamitatem ab Ecclesia sua avertere, vel potius sponte ab Episcopali cedere dignitate. His itaque meditatibus, ad prae-nominatum Apostolicae sedis Legatum honestos suos nuncios misit, & statum suum & Ecclesiae suae ei insinuavit, & suam ei aperuit voluntatem. Qui de prudentia ejus per eos, qui circa Imperatorem fuerant, & de fama virtutis & probitatis ejus plenius expeditus, rogationem ejus gratulanter accepit, & se specialiter ipsum velle diligere & ad ejus & Ecclesiae suae commodum & honorem efficaciter intendere pollicitus est & benigne. Dum igitur supra Ecclesiarum periculis Dominus *Gardolfus Episcopus* cura ureretur, ad locum, qui *Caldenborn* dicitur, divertit, & ibi febre correptus est, & paucis diebus aegrotans non solum suis & Ecclesiae suae sed & toti patriae merito descendens ab hoc seculo, evocante Domino, est ereptus. O vere felicem Praesulem, qui sicut inceperat in diebus suis inter Regnum & sacerdotium concordia, si perstitisset, Halberstadenensis utique Ecclesia ad felicitatis statum, opitulante Domino, reduxisset: qui quantum & ipse ad reformationem suae Ecclesiae totis visceribus anhelaret, in redimendis suae Ecclesiae reditibus ab Antecessoribus suis obligatis, in comparandis praediis & Patrimoniis, in decimis & advocatiis & aliis Ecclesiarum Jurisdictionibus a tyrannide Laicorum liberandis & eripiendis, quantum brevis temporis admittit, sincerius patefecit. Ipse quoque ingenua liberalitate, ac eximia largitate, morumque quoque curialitate, & totius probabilitatis elegantia redimitus, adeo omnium in se provocarat affectus, quod nisi occulto suo Domino judicio Ecclesiam Halberstadenensem potius vellet esse humilem, quam sublimem, eam per ipsum de facili ad statum pristinum reformasset. Miserabilis ac metuenda Halberstadenensis Ecclesiae conditio, quae cum inter omnes Saxoniae civitates rerum opulentia & speciali praerogativa dignitatis plurima & praecipua primitus haberetur, peccatis exigentibus omnium fere facta humilior, cum tandem miserante Domino in novissimis temporibus, idoneum consecuta fuisset Pastorem, qui in ejus reformatione sperabatur habere industriam ac virtutem, sicut Domino placuit, de medio est sublatus, fortassis in hoc ostendente Domino, quod Halberstadenensis Ecclesia non prosperita-

tem temporalem de cætero, sed æternum sperare debeat incrementum. Mortuus est autem venerabilis Antistes anno incarnationis Domini 1201. anno ordinationis suæ 8. 12. Cal. Septembris. Nobile autem cor ejus cum intestinis sepultum est in Ecclesia B. Johannis in Kaldenborn, ante altare B. Stephani. Et merito ad fontem vivum quem corde sitivit Gardolphus, gelidus fons ejus cor sepelivit. Venerabilis autem Dominus Conradus Halberstadenfis Ecclesiæ major Præpositus, consanguineus ejusdem Antistitis, multa humanitatis obsequia in exequiis ejus clementer ei exhibuit ac devote, qui & cum multa reverentia & honore quo decuit, ipsum ad Halberstadensem deduci fecit Ecclesiam. Prosecuti autem sunt funus ejus tam Clerici quam Laici, mutuis fletibus tam inopinum tam pii Præfulis obitum lamentantes. In via quoque, qua ducebatur, hominum multitudo, senes quoque ac decrepiti, mulieres ac parvuli ad funeris exequias accurrentes, inaudito singultuum ejulatu proclamabant, se non Dominum sed patriæ patrem ac pacis principem miserabiliter amisisse. Quantis autem lacrimis quantoque introrsus dolore à Clero & Populo Halberstadenfi sit suspectus, explicari non valens, pallio caput cooperio, more pictoris, qui patrisfamilias pro morte filii dolentis inexplicabilem tristitiam non valens exprimere, caput ejus involutum pallio depinxit. Vasalli autem Ecclesiæ, ingenui quoque milites ac ministeriales, tam pauperes, quam divites altrinsecus ejulantes, quanta affectuositate ipsè eos tractasset, quantaque liberalitatis donativa eis semper largitus fuisset, flebilibus vocibus cumulabant. Denique, ut paucis multa concludam, quanto plus sunt inquisita ejus merita & investigata, tanto amplius abundasse sunt inventa. Corpus autem ejus ante Altare S. Crucis in Ecclesia B. Stephani honore congruo est sepultum.

Anno gratiæ Domini 1201 pro Præfule è medio sublato, Dominus *Rudolphus* Magdeburgensis Archiepiscopus, qui de more exequiis suis interfuerat ad alterius provisoris substitutionem continuo maturandam propter malum terræ statum crebrius fratres hortabatur. Ad Electionem igitur confedentes, invocata S. S. gratia, vota in venerabilem Dominum Conradum Majorem Præpositum conjecerunt, & consensu unanimi totius Cleri, & populi acclamatione in patrem eum ac Episcopum concorditer elegerunt. Ipse vero licet multum renisus fuerit, victus tamen prece omnium, & ad multam exhortationis instantiam Domini Rudolphi Magdeburgensis Archiepiscopi reverenter hoc onus suscepit. Gratulabatur igitur omnis populus, quod cum Halberstadenfis Ecclesia post occasum p. m. Gardolphi Episcopi passa esset Eclipse miserandam, jubare novi syderis hanc eandem Ecclesiam dignatus est Dominus misericorditer illustrare. Hic itaque ex illustri prosapia oriundus, studiis liberalibus à primævis annis pulchre imbutus, sapientiæ quoque & facundiæ gratia perfusus, morum etiam aliarumque virtutum adeo honestatus titulis, quod ipse Philippo Regi nimium dilectus, in cujus etiam [curia] celebre fuit nomen ejus. Terræ quoque Magnatibus gratissimus extitit & acceptus. Ad ipsum igitur Regem *Halis* existentem accedens, continuo, & cum multa benignitate receptus, ab eo regalia accepit. Deinde autem à Domino Rudolpho Magdeburgensi Archiepiscopo est promotus ad Ordinem Sacerdotum, & quoniam in Moguntina Ecclesia, *Lucio Wormatiensi Episcopo*, & *Domino Sigfrido* simul electis, Schisma erat, ipse auctoritate accepta à Capitulo Moguntino, à Domino Eicstadenfi Episcopo, conbenedicentibus Brandenburgensi & Havelbergenfi Episcopis benedictionem Episcopalem suscepit Calendis Januarii. Pontificalibus igitur infulis decoratus, sicut ipse Domino Gardolpho successit in honore, ita in onere; variis ac diversis undique tam in interioribus quam in exterioribus calumniis ac adversitatibus emergentibus contra ipsum. Nam quidam Vasalli Ecclesiæ, cum iniquitatis suæ complicitibus, pro impietatis suæ arbitrio terram suam incendiis & rapinis hostiles invaserunt. Ad quorum temeritatem reprimendam, licet ipsum aliquot reditus suos oportuit obligare, strenue tamen ac viriliter resistendo Castrum in *Schwanebecke* violenter cepit & funditus evertit, eosdemque adversarios suos, usque ad congruam compulit emendationem. Præterea Prænestiæ Episcopus Apostolicæ sedis Legatus literas illi direxit, vocans eum Coloniam infra 7 dies, mandatum ibi Apostolicum suscepturum. Qui difficultatem viæ & periculum propter adversarios Regis Philippi & angustiam termini præfiniti, juste prætendens, præsentiam Apostolicam appellavit. Ipse vero Legatus in eum nihilominus & in omnes Regis Philippi fautores sententiam protulit excommunicationis.

Dominus itaque Conradus Episcopus sibi videns honoris sui ac Ecclesiæ suæ periculum imminere, satius judicavit incidere in manus DEI, Palmarum debitam in Quedlinburg solennitatem agens, infra sermonem ad populum, ad obsequium Jesu Christi & succursum terræ sanctæ S. Crucis signaculo se signavit, ingens omnium, qui aderant, gaudium in tristitiam inopinam subito convertendo. Ei vero propter expeditionem, quam moverat, exinanito nimium, in rebus ad peregrinationis suæ subsidium divina bonitas mirabiliter procuravit expensas.

Nam Dominus Albertus Ecclesiæ Magdeburgensis Decanus 550. marcas argenti ei liberaliter erogavit. Ipse igitur Episcopus pro temporis qualitate, rebus Ecclesiæ suæ prudenter dispositis, in eisdem Calendis Maji iter peregrinationis arripuit anno incarnationis
Chri-

Christi 1201. Ordinationis suæ anno 1. Qui cum per Bohemiam iter dirigeret, Dominus *Odoacer* [*Ottocarus*] *Bobemorum Rex* & frater ejus *Marchio Moravia* honorifice eum recipientes necessariis ei uberrime ministrantes, per terram suam conduci fecerunt. Terras quoque illustrium Principum Ducis Austria, deinde Saltzburgensis Episcopi, post hæc Aquilegensis Patriarchæ pertransiens, aliquanta & apud eos mora facta, in omnibus benignissime pertractatus, ab ipsis tandem ducente Domino Idus Augusti Venetias pervenit. Tantam autem gratiam & favorem in oculis Venetorum invenit, quod ipsi eum tanquam de suo populo reputantes, suæ gentis patrem eum ac suum Principem computabant.

Post discessum autem ejusdem quidam ministeriales Ecclesiæ suæ, dum inter se dissentirent, pars una Regis Ottonis auxilio invocato partem alteram de Castro Gatersleben ejecit. Sed Principes & Barones terræ idem Castrum obsidentes, & viriliter impugnantes ad dedicationem tandem compulerunt. Quidam etiam milites dum Castrum Regium Lewenburg Lantgrafio Thuringiæ tradidissent, manu valida de eorum tandem manibus est ereptum. Præterea Rex Otto propter favorem Apostolicum fortior factus, Bohemis & barbaris nationibus sibi in adjutorium vocatis, terram undique est depopulatus. Cui Rex Philippus validius tandem restitit & præcipue Domini Ludolphi Magdeburgensis Archiepiscopi aliorumque sibi faventium Principum adjutorio Bohemos in fugam convertit, quibus more suo præda discurrentibus, infiniti gladio sunt perempti. Halberstadenensis quoque Ecclesia à Prænestino Episcopo Apostolicæ sedis Legato & à Sigfrido Moguntino Archiepiscopo non modicam passâ est persecutionis instantiam, ut ipsa à suo Episcopo recederet, aliumque, qui Regi Ottoni serviret, eidem supponeret. Quibus Ecclesia tam fideliter quam viriliter resistendo omnes machinationes & conatus eorum, adjuvante Domino, dissipavit. In hac autem tempestate venerabilis Domini Geroldi Beatæ Mariæ Præpositi fides sincerius enituit, qui & hostes crebrius propulsando, & ministeriales Ecclesiæ manutenendo, & propensius exhortando, variisque munificentis consolando, constanter in fidelitate sua perseverare fecit. Eius etiam adjutorio & instinctu Cives Halberstadenenses Civitatem suam & vallo & propugnaculo munierunt, à quibus & hostes viriliter infestantes, triumphum de eis quam sæpius habuerunt, iisque in præsens eorum insidias, & collectiones malignantium satis caute, & discursus eorum tam liberos per provinciam reprimentes.

Verum Dominus *Conradus Episcopus*, cum, ut dictum est, Venetias pervenisset, peregrinorum ibidem multitudinem reperit copiosam, sed propter quandam, quam cum Venetis fecerant, conjurationem, ipsorum fuerat aliquandiu peregrinatio prorogata. Hujus igitur peregrinationis originem & processum ordinem scire cupientibus, quantum brevitas compendii admiserit, succincte pandam. Dominus *Fulco* siquidem Sacerdos venerabilis in partibus Galliarum verbum prædicationis assumens, Cruce signatus ad succursum terræ Sanctæ multos pariter consignavit. Signati sunt autem ad hoc iterum viri nobiles de Francia, Dominus *Nivelungus Svesionum* & Dominus *Henricus Trecensis Episcopus*, Comesque *Theobaldus de Campania* & Comes *Ludovicus* cum fratre suo *Blesensis Comes*, & *Baldwinus* & *Henricus frater ejus de Flandria*, Comes quoque *de S. Pauli* & Comes *de Paris*, cæterique nobiles multi & populus infinitus. Habito itaque consilio nuncios suos cum Domino *Bonifacio Montisferrati Marchione* qui pariter cruce signatus erat, Venetias direxerunt, qui talem pactationem cum Venetis inierunt, ut ipsi peregrinis omnibus navigium providerent, & per anni circulum cum 30000. armatorum exercitu subservirent, eisque pro tali obsequio 100000. marcarum promittentes, per obsides & juratoriam cautionem securitatem fecerunt. Cum igitur Veneti cum magnis sumptibus & expensis ad hoc mysterium se magnifice præparassent, Dominus *Fulco* & Comes *Campania*, Comes quoque *de Paris*, qui hujus expeditionis præcipui cooperatores fuerant, sunt defuncti. Ad diem itaque definitum cum peregrini omnes ad Venetiam convenissent, æstimatis omnibus bonis suis in argento factis & infectis, equis, cunctaque suppellectile sua, de pecunia Venetis danda nec in medietatem persolvere potuere. Unde in insula *B. Stephani* Veneti eos detinent tanquam captivos, nec redire sinunt, donec solvant debitum universum. Post multam igitur utriusque partis animadversionem tandem tale consilium habuerunt, quod Veneti sicut pepigerant cum peregrinis vadant, peregrini Venetos ad vindicandas suas injurias adjuvent, & quicquid lucrari possint inter eos æque distributo, de peregrinorum portione residuum pactæ pecuniæ Venetis persolvatur. Verum Dominus *Conradus Episcopus*, cum fuisset ab his conditionibus alienus, Domini *Petri Capellani*, Apostolicæ sedis legati, quod ei foret in tali articulo faciendum, consilium requisivit. Qui respondit, plane Dominum Papam quodlibet inconveniens eorum dissimulare, velle potius quam peregrinationis hujus expeditio solveretur, eique finale dedit consilium, ne ipse aliquo modo ab exercitu recederet, sed super insolentis eorum hoc, quod facere posset, toleret. Ipse igitur sicut etiam quatuor Abbates Cisterciensis ordinis, quos Papa specialiter designavit, ut ipsi cruce signatis verbo & exemplo præessent, exercitui se adjunxit. Anno itaque incarnationis Christi 1201. Cal. Octobris omnis exercitus, conscensis navibus, navigandi iter arripientes, aura secunda in vigilia *B. Martini* portum Civitatis *Jadheræ* contigerunt. Est *Jadhera* Civitas opulentissima Dalmatiæ atque Croatia metropolis, in mari

mari sita, muro peroptimo atque turribus perexcelsis munita, quæ quondam Venetis subjugata, à jugo ipsorum se excutiens, sub Regis Hungariæ se transfulerat jurisdictionem: quod Veneti agrè ferentes, nunc demum nacta oportunitate peregrinorum adjutorio eam undique & per terram & mare vallantes ad deditionem coegerunt. Licet quædam literæ & Apostolicæ ibidem apparuerint, quæ sub excommunicationis interminatione id fieri vetuisent. In die itaque Beati Chrylogoni, cujus corpus in eadem civitate requiescit, ab exercitu eadem Civitas occupata fuit, & rapina inter se distributa, & per medium civitate divisa in duas partes, peregrini in una, Veneti in altera se hospitio receperunt. Quidam autem Abbatum, qui aderant, recedendum esse à Venetis propter hoc factum, publicè proclamabant. Et plures peregrinorum secum trahentes versus Hungariam discesserunt. Qui à Rege Hungariæ bene recepti & benigne tractati, ipso procurante transfretantes, peregrinationis suæ vota feliciter expleverunt. Peregrini vero apud Jaderam existentes, nuncios suos Romam miserunt, qui Domino Papæ necessitatem, quam cum Venetis amplexi erant, prætenderent, atque eos super facto Jaderæ excusarent: quos Papa remisit ad exercitum, quem & præstita cautione, quod mandatis parerent Apostolicis, ab excommunicatione jussit absolvi: Si vero Veneti beneficium parvipenderent absolutionis, nihilominus tamen ipsis communicandum foret, quoniam peregrinis in navibus Venetorum tanquam in eorum domiciliis habitantibus, sententia excommunicationis in Venetos, tanquam in patresfamilias lata, in peregrinorum, tanquam in piorum familiam non transfret.

Per hyemem itaque penes Jaderam commorantibus peregrinis, Serenissimus Rex Philippus, intelligens eorundem necessitatem, & à rebus exhaustos esse & pecuniæ Venetis persolvendæ maximam adhuc partem restare, & quod jam evolveretur annus, quo eis tenebantur Veneti, navigio & exercitu suo servire, prudenter animadvertit, quam plurimum terræ sanctæ consultum esse, si focer ejus Alexius Rex Græcorum eorum adjutorio Regnum suum, à quo ipse violenter ejectus erat, posset recuperare. Mittens igitur nuncios suos ad exercitum, consilii sui eis aperuit voluntatem, quod si ipsi focerum suum regno restituerent, ipse eis 2000 Marcarum se pollicebatur daturum & navigium & victualia per annum peregrinis provisorum. Qui propter occasionem jam dictam, id videntes exercitui non minimum expedire, tum precibus, tum pretio inclinati, hoc negotium uniformiter assumpserunt pro adolescente Alexio, Regi Philippo nuncios memoratos continuo remittentes. Cum autem Idibus Maji tempus navigationis advenisset, peregrinis omnibus de civitate egressis, Veneti eam cum turribus, palatiis & ædificiis omnibus funditus everterunt. Peregrinis itaque plerisque præcedentibus & apud Corvinum insulam expectantibus in die B. Marci jam dictus adolescens veniens Jaderam à Venetis adhuc ibidem existentibus immenso solennitatis tripudio est receptus, & in septimana Pentecostes Corphinum ad exercitum veniens, ab eis alacriter est receptus.

Cum autem apud Corphinum exercitus moram faceret, Archiepiscopus civitatis ejusdem quosdam ex Prælatibus eorum ad prandium invitavit, qui cum inter se conferendo disputarent, & de principatu Romanæ sedis plurima disceptarent, idem Archiepiscopus dixit, nullam aliam causam se scire primatus vel prærogativæ sedis Romanæ, nisi quod Romani milites Christum crucifixissent. Cives vero ejusdem civitatis audientes, venisse juvenem memoratum Regni Græcorum heredem, cum machinis peregrinos à portu cedere compulerunt. Exercitus igitur ejus auctoritate insula penitus devastata recessit. Prætereuntes autem Ragusium civitatem quandam, reclusus quidam ibidem Domino Conrado Episcopo est ostensus, qui dictus est fuisse Comes Burchardus de Hallremond, qui & Constantinopolitanæ Civitatis captionem ac ejusdem subjectionem peregrinorum exercitui prophetavit. Exinde vero Malæ vicinam Duratium & Mutinam, insulas quoque maris, Paros, Staream, Delos, Cyclades, Andros, Sygeum etiam promontorium & per Hellespontum partes Trojæ, Seston & Abydon aliasque innumeras Civitates & insulas 350. delinquentes, tandem, ducente Domino, Constantinopolin sunt advecti. Quam prodigiose autem per exercitum tam humilem quam despectum Dominus operatus sit miracula, qualiterque Civitate obsessa & capta adolescens præmemoratus una cum Patre suo Isachio in sede Regia fuerit restitutus, & ipse ingratus beneficiorum acceptorum exercitui se opponens à Græcis fuerit interfectus, qualiterque ultimo Civitate capta Alexio suppositus fugatus fuerit, & ab Alexio Alexii patruo exoculatus & à Latinis captus, & in Civitate præcipitatus, & qualiter Civitate possessa à Latinis Balduino Comes Flandriæ Imperator in ea fuerit constitutus, idemque à Johannis Blacorum [Walachorum] Rege in bello occisus, multaque alia, ibidem miraculose peracta, quoniam specialem requirunt tractatum in hoc compendio visa sunt non esse interferenda.

Anno autem Incarnationis Domini 1204. Balduino Comite Flandriæ in Imperatorem Græcorum elevato, 6. Calendas Novembris Conradus Halberstadenfis Episcopus peregrinationis suæ vota persoluturus à Constantinopoli ad Terram sanctam iter arripuit navigandi, & ad Græciæ fines declinans, duabus ibi navibus cum victualibus oneratis, insidiis pyrtarum cum multo periculo declinatis, Nonis Octobris Domino conducente Tyrum pervenit, unde ad Cardinales Apostolicæ sedis legatos continuo ad Civitatem Acon transivit, sed

sed ipsi Cardinales propter excommunicationem, quam Prænestinus Episcopus in eum tulerat cautionem recipientes ab eo, quod ipse ad Dominum Papam personaliter accederet, ipsum absolverunt, Papæ super hoc literas suas destinantes. Ipsi quoque Cardinales in pro-cinctu existentes Constantinopolin proficiscendi vicem suam eidem Episcopo committentes, in terra sancta moram facere rogarunt. Tyrensis quoque Archiepiscopus in Græciam proficiscens, suam ei commisit Ecclesiam procurandam, ipso simul in sua Civitate & palatio collocato. Ipse quoque Episcopum Sydoniensem electum in Sacerdotem & Episcopum consecravit, ei etiam apud Tyrum existenti quidam Philosophus omnes vitæ suæ futurorum eventus potenter insinuavit. Cum autem febre quartana graviter laboraret, apud tortuosam Mesopotamiæ Civitatem, Ecclesiam B. M. visitans, quam Apostoli Petrus & Andreas fabricasse dicuntur, divinitus est curatus.

Cum igitur in partibus tam laudabiliter quam honorabiliter deguisset in muris Tyri, qui cum universa civitate ex terræ motu corruebant diligentissime reparandis, in pauperum multitudinem quotidie reficiendo, Ecclesiam undique & personas Ecclesiasticas charitative visitando, eisque res suas liberaliter erogando, captivis quoque & peregrinis elemosinas suas misericorditer transmittendo, denique omnibus indigentibus munificentia suæ gratiam uberius impendendo, jam pene universis rebus suis expensis, tandem 3. Cal. Aprilis ad repatriandum navem conscendit. Porro Dominus *Amalricus Hierosolymorum Rex*, milites quoque Templi ac Hospitalis, Civesque tam Tyrii quam Aconici cum Clero ac populo universo ipsum sunt cum gemitu persecuti, veraciter asserentes, totam terram suam, nimirum ex sui solius absentia, desolatam, ex cujus presentia indubitanter asseverabant, terram sanctam fuisse felicem prædicandam. Ipse itaque Episcopus multimodis gratiarum actionibus impensis, dataque eis benedictione, prospero vento Cretam pervenit, ibique tempestas valida navem suam invadens, tanta vehementia versus Barbariam ipsum jactavit, quod ad desperationem omnes ducti erant. Cribati sunt autem hac tempestate à Vigilia Domini Cœnæ usque in diem Paschæ, exinde divina clementia eos benignius intuente, aura secunda vecti, tandem in Vigilia Pentecostes ad portum Venetiæ, dante Domino, sunt advecti, ibidem Domino B. Halberstadenfis Ecclesiæ Decano cum quibusdam de familia Ecclesiastica & nuncio Regis Philippi Episcopo venientibus in occursum. Ipse autem Episcopus genti Venetorum dilectus non modicum, & acceptus, ab iis tanquam eorum Pater & Dominus est receptus. In die quoque Pentecostes à duce Venetorum Clero & populo universo Pontificalibus indumentis decenter ornatus, usque ad Monasterium S. Marci cum solenni processione perductus, Missarum solennia, ea qua decuit, reverentia celebravit. Relicta autem ibi suppellectile sua continuo Romam ivit. Quem cum Dominus Papa venisse cognovit, de sententia, quam Prænestinus Episcopus in eum tulerat, licet ipse à Cardinalibus in Transmarinis partibus Apostolica vice fungentibus fuerit absolutus, ipsum tamen ad cautelam denuo fecit absolvi. Cum autem multipliciter Papa ipsi instaret, ut eum à fidelitate Regis Philippi avelleret, & ad Regis Ottonis obsequium inclinaret, ipse Episcopus potius notam inobedienciæ quam reatum perjurii se velle incurrere constanter respondit. Scripserat autem pro eo universus exercitus apud Constantinopolin constitutus, Hierosolymorumque Rex cum universis Ecclesiis terræ sanctæ, personam ejus favore Apostolico dignam esse merito commendantes. Tenor autem literarum peregrinorum exercitus talis erat:

Gratum ni fallimur Deo & Apostolicæ sanctitati præstiterunt obsequium, quorum ad hoc efficaciter operosa diligentia vigilavit, ut Græcorum Schismate potenter evicto Apostolicæ, ut decet, unitati, & Ecclesiasticæ paci Græcia redderetur, & ad hoc quidem venerabilis Clerus noster qui nobiscum est, prudenter ac religiose cum omni instantia laboravit, & sic, uti est dies hæc, armis in Deo potentibus perseveranter obtinuit: unde digne promeriti apostolicæ gratiæ honorisque perpetui debent cumulum reportare. Inter venerabiles vero Pontifices nostros, quorum in his fuit & consilium efficax & cura præcipua Dominus Halberstadenfis merito laudandus apparuit, qui exercitui nostro verbo, exemploque per cuncta Apostolicæ sedis reverentiam, quam gerebat in pectore, potenter opere demonstravit. Verum quia ad levioris famæ garrum cui fides omnino adhiberi non debuit à quibusdam transitorie sumus edocti, quod eidem foret, vestra obscurata serenitas & adversus eum aliqua vestra succrevisset indignatio sanctitati, cujus tamen signum credibile nec audivimus, nec vidimus unquam: Paternitatem igitur vestram pro amore sincero quem ad Pontificem memoratum habemus, sed & habere debemus, propensius obsecramus: quatenus etiam si contra eum severitas vestra justè permota est, quod omnino non credimus, tam suæ devotionis intuitu quam nostræ supplicationis obtentu voluntarie, pleniter ac faciliter remittatis; scientes quod non invenietis in eo rebellionis aut inobedienciæ quodcunque, sed ad primam visionis vestræ vocem ad omnem voluntatis Apostolicæ nutum promptus obediet, sigis igitur patentibus, quod somniavit mendax & garrula fama, diluite, & Apostolicam gratiam quam dignè Pontifex memoratus, [habeat] dulcibus literis exarate, & gratiam Paternitatis vestræ plene eum recuperasse, Ecclesiæ suæ innotescere faciatis.

T

Car-

Cardinalibus igitur cæterisque omnibus compatientibus periculis ejus ac laboribus, quos perpessus erat, causa ipsius nimium penes Dominum Papam facta est favorabilis ac benigna. Gratia itaque sua plenissime eum restituit, omnesque petitiones suas benigne recipit. In die quoque Apostolorum Petri & Pauli Dominus Papa ornamento suo proprio ac insula ipsum ornans, infra Missarum solennia inter *Cardinales* sibi fecit assistere. Dataque sibi, cunctisque sociis benedictione ac pacis osculo ad terram suam lætanter remisit. Ipse igitur Bononiam rediens, quoscunque de sua terra Romæ invenerat, & qui de scholis repatriare volebant, in suis expensis secum reduxit. Appropinquante autem terræ suæ illustris Dominus *Bernardus Dux Saxonie* & multitudo nobilium militum ac Ecclesiæ suæ ministerialium ipsi obviam occurrentes cum ingenti gaudio receperunt. Cum quibus usque ad Civitatem progrediens Thesaurum tam pretiosum, quam salutiferum, reliquias scilicet Sanctorum, quas adduxit super feretrum impositas ac decenter ornatas sibi præferri fecit. Venit igitur universa Civitas, Cleri & populi, Prælatique & totius Dioceseos & honesti viri, nec non provinciarum adjacentium populus infinitus; & de civitate obviam ipsi oblongius procedentes cum tanto ipsam solennitatis tripudio receperunt, quanta à nullo unquam visa erat. Et merito venerandum Antistitem, qui venerat, conclamabant in nomine Domini benedictum. Ipse enim secum sanctorum pignora apportavit, cum quibus indubitanter pax & salus patriæ sunt illata. Nam in serenissimo eorundem sanctorum adventu divina miseratione tanta gratia [patriam] illustravit, quod Schisma inter Regnum & sacerdotium jam pridem habitum, licet ex mirabili *Regis Philippi* occasu, mirabili tamen judicio Dei, ad unitatem Ecclesiæ est reductum totiusque terræ perturbatio, quæ in tantum invaluerat, ut vix unquam existimaretur sopiri posse, contra omnem opinionem hominum fuit ad bonum pacis & concordie complanata. Injuria etiam temporis, quæ diu terram affligerat, in pristina gubernationis statum continuo est mutata. Merito igitur in talium patronorum adventu gaudendum erat, per quos utique fames, pestilentia, mortalitas, seditiones & bella undique, opitulante Domino, quieverunt.

Feliciter itaque Dominus Episcopus hic, onustus cum ingenti gaudio & exultatione usque ad Ecclesiam B. Stephani est perductus, ubi in introitu Clerici ejus laboribus feliciter in domino alacriter alludentes, responsum: *Justum deduxit Dominus*, jucundis vocibus cantaverunt. Faciens autem sermonem ad populum, quales & quantos meruissent habere patronos patenter eis ostendit. Hæc autem sunt reliquie, quas adduxit. Sanguis Domini nostri J. C. de ligno Domini, de sepulchro, de spinea corona Domini, de syndone ejusdem & de sudario, de veste purpurea, de spongia & arundine, de soccularibus ejusdem, de Capillis B. M. V. & de vestimentis ejus, de craneo S. Johannis Baptistæ & de Capillis ejus & vestimentis & digitum junum, tibiam S. Petri & de Capillis ejus & vestimentis, Caro S. Pauli Apostoli, reliquie S. Andreæ, Bracchium Simonis Apostoli, caput totale Jacobi fratris Domini, scapula Philippi Apostoli, Bracchium Barnabæ Apostoli & omnium Apostolorum reliquie, de craneo S. Stephani Protomartyris cum cubito ejus, Bracchium Clementis Papæ reliquias S. Laurentii, Cosmæ & Damiani, Joh. & Pauli, Georgii, Procopii, Demetrii, Abelis justii, Processi & Martiniani, Pantaleonis, Hermolai, Hermogoræ, digitus S. Nicolai, reliquie Johannis Chrysofomi, Johannis Eleemosinarii, Gregorii Nazianzeni, Basilii, de Craneo Mariæ Magdalene; manus & Bracchium Euphemie Virginis, Lucie, Margarethæ, Catharinæ, Barbaræ, Susannæ & multæ aliæ reliquie sanctorum Martyrum, Confessorum ac Virginum, quas enumerare longum esset. Hunc autem adventus reliquiarum diem Dominus Episcopus statuit per diocesin universam, videlicet 16. Cal. Septembris annua revolutione esse celebrem ac solennem, & ut conventuales Ecclesiæ ad majorem Ecclesiam stationem haberent, consolationem honorificam eis ordinavit. Altare quoque novum in monasterio . . . in honorem memoratorum Sanctorum crexit, dedicavit & dotavit, ut Sanctis fiat eisdem jure obsequium super eodem.

Mortuus est autem eadem die Dominus *Ludolphus Magdeburgensis Archiepiscopus*, ad cuius exequias Dominus Conradus Episcopus est vocatus, qui & ipsum de more sepelivit. Cum itaque ipse capitulum Magdeburgensis Ecclesiæ hortaretur ad alterius substitutionem, nec illi aliquatenus in electione potuerant concordare, Domino Conrado Episcopo tres adhibuerunt personas, auctoritatem eis dantes, ut quem vellent, Episcopum eis darent, qui Dominum *Albertum* majorem Præpositum idoneum judicans, in Archiepiscopum eligi præcepit. Ipse autem Conradus ornatum, quem de Græcia attulerat in auro & argento, & lapidibus pretiosis & purpureis B. Stephani Ecclesiæ contulit & supremum altare nobilissimam purpura opere confutuli, auro intexta, ac duobus vexillis nobilibus, Sanctuarium quoque in circuitu & chorum undique eleganter palliis sericis decoravit. Ipse etiam, sicut erat religionis amator & indefessus divini officii executor, [Xenodochium S. Jacobi à canonicis ad S. Mariam emit], in quo Monasterium Sanctimonialium Cisterciensis ordinis ordinavit. Et quia domum istam, quæ *B. Burchardi Domus* dicitur, domui militiæ templi contulerat aliquando, cum iisdem facta commutatione, Collegium jam plantatæ Ecclesiæ Sanctimonialium transtulit, ad jam dicti B. Burchardi Ecclesiam, sororibus inibi Domino famulantibus pro posse

posse suo necessaria subministrans. Ipse etiam Episcopus hoc promovit ac fideliter est cooperatus, quod Ecclesia B. Stephani, quæ deformis, rudis ac despecta erat, & ampliata & testudine decentissima est ornata. Cum autem ipse Ecclesiæ tam interioribus quam exterioribus paterna sollicitudine provideret, Castrum in *Oschersleben*, quod Dominus *Ludolfus Magdeburgensis Archiepiscopus* pro insolentis unius ministerialis Halberstadenſis Ecclesiæ occuparat, idem Episcopus recuperavit, & ab eo Episcopali Ecclesiæ suæ dedit libere possidendam. Castrum etiam *Eulesleve*, quod in *comitia de Sommerschenburg*, sibi [sede] vacante, in suum præjudicium fuit exstructum, valida manu obsedit, captum quoque destruxit. Cum etiam validas à parte Regis Ottonis pateretur persecutiones assidue & pressuras, strenuè ei resistit, ejusque violentiam viriliter propulsavit.

Cum igitur ipse contemplationi vacaret, totusque misericordiæ operibus redundaret, nec volens, nec valens tantam tumultuationem ac strepitus seculi sustinere, nuncios ad Dominum Papam misit Apostolicam postulans dispensationem, ut post sudorem sibi vitæ activæ foret licitum, ad contemplativæ vitæ dulcedinem convolare. Votivum namque habuit desiderium ab Episcopali dignitate descendere & sub habitu religionis & disciplina Cisterciensis ordinis Domino famulari. Verum Dominus Papa nullatenus ejus petitionem admisit, sed tandem Domino *Hugoni Ostiensi Episcopo* & Domino *Leoni Apostolicæ sedis legatis* commisit, ut ipsi ad Halberstadenſem Ecclesiam accederent, & si viderent ejusdem Episcopi cessionem suæ Ecclesiæ expedire, tam congruam & idoneam quam providam ac honestam diligenter investigarent personam, cui Episcopatus committi posset. Sed licet ipse, cum multis lacrymis eorundem pedibus provolutus à provisione Halberstadenſis Ecclesiæ postulavit se absolvi: ipsi tamen cardinales versa vice se suis pedibus provolventes, ne ipse suam Ecclesiam relinqueret desolatam, attentius rogaverunt, votum etiam suum autoritate Apostolica cohibentes, omnemque spem impetrandæ dispensationis eidem de cætero amputantes. Cum autem iidem Cardinales à sede Apostolica destinati essent, inter duos Reges concordiam facere & pacem, si possent; nihil proficientes in Italiam redierunt. Unde *Rex Philippus* omnem, quem potuit, collegit exercitum contra *Regem Ottonem* in *Saxoniâ* totis viribus profecturus.


Relicto autem exercitu civitatem *Bavenberg* intrat, ubi à *Comite Palatino de Wittelsbach* quam lamentabiliter est occisus anno Incarnationis domini 1209, anno Regni sui 13. & in *Bavembergenſi* Ecclesia est sepultus. Et licet idem Comes Palatinus adjutorio *Bavembergenſis* Episcopi tunc evaserit (unde idem Episcopus magnam infamix mortis Regis incurrit notam) postea tamen à Domino *Henrico Imperialis Curie Mareſchallo* prout meruit, turpiter est occisus, capite ejus truncato & in Danubium projecto. Sed *Rex Otto* collecto, quo poterat, exercitu Halberstadenſem Ecclesiam hostiliter invadere conabatur. Episcopus autem videns se undique consilio & auxilio destitutum, habito tandem cum Ecclesia sua consilio, ad eundem Regem accedens, confederatus est cum ipso, 800. marcas eo sibi pro suo obsequio pollicente.

Verum idem Episcopus votum, quod diu gesserat in pectore, totis viribus anhelabat adhuc effectui mancipare, & licet auctoritate Apostolica eidem fuisset inhibitum, maluit tamen divinis quam humanis parere mandatis; & ut promptius & expeditius abjecta sarcina rerum temporalium contingeret bravium actualis vitæ, posthabito mundi labore, ipsa veritate docente, unum esse necessarium, cum *Maria* contemplativæ vitæ optimam partem censuit eligendam. Quibusdam itaque ex confratribus suam aperiens voluntatem, ut ipsi in Pastore eligendo operam darent, eos attentius hortabatur. Ad Ecclesiam autem *Syben* transmigrans Episcopali deposita dignitate, habitum religionis assumpsit anno ordinationis suæ VII. & super hoc Halberstadenſi Ecclesiæ literas suas mittens, & tam Clerum quam populum ab obedientia & fidelitate, quibus tenebantur, absolvens, alium eligendi Episcopum Capitulo tribuit liberam facultatem.

Anno igitur incarnationis Christi 1209. Ecclesia Halberstadenſis pro tam repentino & inopinato sui Præsulis transitu & mutatione nimium mente est consternata; sed ne in eligendo Pastore mora periculum generaret, subito confedentes Sp. S. gratia invocata Dominum *Fridericum* Vicedominum virum utique nobilem ac prudentem concorditer in Episcopum elegerunt. Solemnitate itaque electionis rite peracta, ipse ad Regem Ottonem accessit & pacto, quod Dominus Episcopus cum eo pepigerat, rato habito regalia simul ab eo accepit. Anno autem Domini 1209. plerique Principes Imperii in Civitate Halberstadenſi convenientes jam dictum *Regem Ottonem Imperatorem* unanimiter elegerunt, mirabili Dei judicio, qui ipsum in Civitate & Ecclesia Protomartyris Stephani, quam ipse ad progenitores sui semper humiliaverant, taliter voluit sublimare. Celebrata autem solenni Curia *Frankenfordt* à familia Imperiali insignia Imperialia ipsi sunt exhibita; filia quoque illustris memorix *Regis Philippi* ei est tradita in uxorem, cum omni hereditate, quæ ab antecessoribus ipsi contigerat, & patrimonio universo.

Prædictus autem Halberstadenſis electus cum literis ſui capituli nuncios ſuos Romam direxit, petens electionem ſuam autoritate Apoſtolica confirmari. Sed Dominus Papa audiens Dominum Conradum Episcopum de ſede ſua contra veritum deſcendiſſe, electionem in Dominum Fridericum factam caſſavit, & quia Dominus Conradus eadem Eccleſia judicaverat ſe indignum, noluit eum redire ad ipſam, ſed à nuntiis Halberſtadenſis Eccleſiæ & Capitulo, quatuor ſibi denominatis perſonis, quia de idoneitate ipſorum ei conſtare non potuit, nomina eorum incluſa in literis Apoſtolicis Domino Oſtienſi Episcopo & Domino Leoni, Apoſtolicæ ſedis legatis in Teutonia exiſtentibus, tranſmiſit, mandans eis, ut ipſi ad Halberſtadenſem Eccleſiam accedentes, quem inter quatuor perſonas illas magis idoneam invenerent, à nunciis ſupra dictis, qui literas ratiſhabitionis à Capitulo Halberſtadenſi acceperant, ſicut in præſentia Domini Papæ debuerant facere, Halberſtadenſis Eccleſiæ Episcopum eligi facerent ac paſtorem. Quia vero iidem Legati jam in reditu exiſtentes nequiverunt exequi mandatum Apoſtolicum vices ſuas Domino Magdeburgenſi, cujus copia dum haberi non potuit, Domino Mindenſi Episcopo delegarunt: Qui ad Halberſtadenſem Eccleſiam accedens, omnibus, quæ in mandatis acceperat, fideliter executis Dominum Fridericum eligi juſſit ab electoribus prætaxatis in Episcopum, ejusque electionem Apoſtolica auctoritate confirmavit. Qui etiam à Domino Sanctæ Moguntinæ Sedis Archiepiscopo & Ordinem Sacerdotii & Episcopalem benedictionem rite accepit.

Dominus Conradus vero quia ſine diſpenſatione à ſede Episcopali deſcenderat, Dominus Papa tam ipſum quam ſui Monasterii Abbatem, qui ipſum receperat, à Sacerdotali officio ſuſpenſos ad Romanam Curiam evocavit, injunctaque eis condigna pœnitentia, Domino Conrado Episcopalis officii exemptionem conceſſit.



XVI.

HISTORIA

ALBERTI II. EPISCOPI HALBERSTADEN-
SIS, NATI EX DVCIBVS BRVNSVI-
CENSIBVSAB ANNO MCCCXXIV. AD MCCCXLIX.
CONSCRIPTA,

Ex MSto.



Anno incarnationis Chriſti 1324. dominus *Albertus de Anebale Halberſtadenſis Eccleſiæ Episcopus* in die exaltationis Sanctæ Crucis ex hoc ſeculo, ut piè creditur, ad Chriſtum migravit, qui licet multa pericula in rebus & corpore pro Eccleſia ſua ſuſtinuerit, tamen eam competenter ampliavit, civitatem & caſtrum *Aſcharia* recuperavit, caſtrum *Schneidlinge* & caſtrum *Konigsbof* in *Hartone* ſais denariis acquiſiſit. Ejus quoque corpore in medio Eccleſiæ cathedralis tradito eccleſiaſtica ſepulturæ fratres tunc præſentes in loco capitulari ſeorſim ſe recipientes, & terminum ad tractandum de electione futuri pontificis præſigentes, in quo tamen vocatis vocandis vota fratrum ſe diviſerunt, & major pars Capituli elegit Dn. *Ludovicum de Neindorff* in Episcopum & paſtorem, qui poſtea ex proviſione Papæ *Johannis XXII.* factus eſt *Episcopus Brandenburgienſis*: alia vero pars Capituli, puta quinque numero, elegit Dn. *Albertum de genere Ducum in Brunſwic* progenitum. Papa vero *Johannes XXII.* providit Domino *Giſekoni ex genere nobilitum de Hoſſatia* procreato. Sed licet prædicti duo à partibus capituli electi, proviſionem ignorantibus, ſuper ſuis electionibus in concordia celebratis, coram *Archiepiscopo Moguntino Domino Matthis* multum diſceptaſſent, tandem ſervato juris ordine ſententiam fuit cum magnâ ſolennitate pro Domino Alberto, & ejus Electio per *Archiepiscopum prædictum* eſt confirmata, & pars adverſa in expenſas eſt condemnata, poſt confirmationem & inveſtituram celeberrimè factam infra annum eſt in preſbyterum ordinatus, & in Episcopum ſecundum formam Eccleſiæ conſecratus, ita quod tempore litis & poſt confirmationem & ante conſecrationem vel etiam poſt conſecrationem, ſibi nihil certi apparuit de proviſione Papæ, prout idem Papa ſub bulla ſua proteſtabatur. Sic igitur in vinea Domini fideliter laboravit, & pondus diei & ætus in humeris portavit, ut pro bravio denarium comprehenderet, cum ad ſtadium de talentis ſibi creditis rationem redditurus perveniret. Et ſic in vinea Domini diſſipavit & ædificavit & plantavit. Caſtrum enim *Emersleben* à ſuo prædeceſſore obligatum, tanquam ſpeluncam latronum factum, valida manu circumvallavit & viriliter expugnavit, captos